




MANUALE PRECUM

IN USUM

SACERDOTUM ET CLERICORUM,

NEC NON AD STATUM CLERICALEM ADSPIRANTIUM.

CURA

G. FRIDERICI WIEDEMANN.

EDITIO QUARTA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CUM APPROBATIONE REVERENDI ORDINARIATUS ARCHIEP. MONACENSIS ET FRISINGENSIS.

LANDISHUTI,

TYPIS AC SUMPTIBUS JOSEPHI THOMANN.

MDCCCXXXII.



ADHORTATIO
SUMMI SACERDOTIS CHRISTI JESU AD SACERDOTES.

1.

Piscatores hominum, sacerdotes Dei,
Praecones veridici, lucernae diei,
Charitatis radio fulgentes et spei,
Auribus percipite verba oris mei.

2.

Vos in Sanctuario Mihi deservitis,
Vos vocavi palmites, Ego vera vitis:
Cavete, ne steriles aut inanes sitis,
Si cum vero stipite vivere velitis.

3.

Vos estis catholicae legis protectores,
Sal terrae, lux hominum, ovium pastores,
Muri domus Israël, morum correctores,
Vigiles Ecclesiae, gentium doctores.

4.

Si legis protectio cadet, lex labetur.
Si sal evanuerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, via nescietur,
Et ni pastor vigilet, ovile frangetur.

5.

Vos coepistis vineam meam procurare,
Hanc doctrinae rivulis debetis rigare,
Spinas atque tribulos prorsus extirpare,
Ut radices fidei possint germinare.

6.

Vos estis in area boves triturantes,
Prudenter a palea grana separantes.
Vos habent pro speculo legem ignorantes
Populi, qui fragiles sunt et inconstantes.

7.

Quidquid vident Laici vobis displicere,
Dicunt procul dubio sibi non licere;
Quidquid vos in opere vident adimplere,
Credunt, esse licitum et culpa carere.

8.

Cum pastores ovium sitis constituti,
Ne estote desides, neque canes muti;
Sonum vestrum nuntient latratus arguti,
Lupus rapax invidet ovium saluti.

9.

Grex fidelis triplici cibo sustentetur:
Meo sacro Corpore, quo salus augetur;
Sermonis compendio, quod discrete detur;
Alimento animae, ne periclitetur.

10.

Omnibus tenemini verbis praedicare;
Sed quid, quibus, qualiter, ubi, quando, quare?
Debetis sollicite praeconsiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.

11.

Spectat ad officium vestrae dignitatis,
Gratiae petentibus dona dare gratis,
Quae si contra fidei regulas vendatis,
Vos lepram miseriae ferre sentiatis.

12.

Gratis Eucharistiam plebi ministrate,
Gratis et absolvite, gratis baptizate;
Vobis gratis coelitus data gratis date,
Salutemque omnium sedulo curate.

13.

Vestra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa,
Regularis habitus, fama speciosa;
Nulla vos coinquinet labes criminosa.

14.

Nullus fastus elevet aut mundana vestis,
Gravis in intuitu habitus sit testis:
Nihil vos illaqueat curis inhonestis,
Quibus claves traditae sunt regni coelestis.

15.

Estote breviloqui, ne vos ad reatum
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum:
Verbum, quod loquimini, sit abbreviatum;
Nam in multiloquio non deest peccatum.

16.

Estote benevoli, sobrii, prudentes,
Justi, casti, simplices, pii, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, pravos corrigentes.

17.

Et si sic gesseritis curam pastoralem,
Vereque vixeritis vitam spiritalem,
Postquam exueritis chlamydem carnalem,
Ipse vobis conferam stolam immortalem.

EXERCITIUM MATUTINUM.

ASPIRATIONES PRO INITIO DIEI.

1. Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

2. In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi surgo: ipse, qui me redemit, me custodiat, protegat atque defendat ab omni malo hodie, semper, et in hora mortis meae.

3. Indue, Deus, animam meam veste innocentiae, ut habitus ejus laudabilis appareat coram te.

4. Domine Jesu, qui lavisti nos a peccatis nostris in sanguine tuo: lava omnes animae meae sordes, et supra nivem dealbabor.

5. O lux, quae illuminas omnia: absorbe me in charitatis abyssum, ut videam semper te in te, et me in te, et cuncta sub te; nam sine te omnia mihi sunt tenebrae et nox obscura.

6. Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et mortis hora suscipe.

7. Angele Dei, qui custos es mei: me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege et guberna.

ORATIO MATUTINA.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Venite adoremus et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus et oves pascuae ejus.

℣. Mane oratio mea praeveniet te, Domine.
℟. Mane exaudies vocem meam.

Oremus.

Mentes nostras, Domine, ad benignitatem tuam levantes, te supplices exoramus, ut nostris precibus aures tuae pietatis clementer accommodans, gratiam super nos multiplicare digneris et misericordiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

* * *

Ad te, a quo sum, et per quem vivo, sentio et intelligo, Pater omnipotens, aeterne Deus! ad te levo manus meas et cor meum, teque omni quo possum affectu laudo, glorifico et adoro. Dignus es, Domine, omni honore et gloria et gratiarum actione, quia, cum non essem, creasti me ad imaginem et similitudinem tuam, et cum perditus essem, pretioso Filii tui sanguine redemisti me, et sancti Spiritus gratia sanctificasti me: a multis malis me praeservasti, peccantem tolerasti, et ad poenitentiam expectasti. Pro his et aliis innumeris beneficiis, praesertim quod ad principium hujus diei me feceris pervenire, ex intimis visceribus tibi gratias ago.

Utinam te infinito amore dignissimum semper perfecte amassem, et nunquam tot peccatis et negligentiis offendissem! Doleo de his omnibus et singulis ex totis praecordiis meis: ignosce mihi Domine, et delicta mea multa et magna dimitte.

Infunde mihi timorem tuum sanctum, fidem vivam, firmam spem, ardentem charitatem, et omnes virtutes, quibus indigeo. Custodi me hac die ab omni malo, et doce me facere voluntatem tuam. Dirige omnia verba, cogitationes et opera mea ad majorem tui gloriam et salutem animae meae, et fac me ita creaturis uti, ne me separent ab amore tuo.

Credo, Domine, quidquid per Ecclesiam tuam catholicam credendum proposuisti. Omnem spem meam in tua bonitate meritisque Domini mei Jesu Christi repono. Diligo te totis viribus, tota mente, tota virtute. Tuae legi obediens ero usque ad mortem. Confirma, Domine, hanc voluntatem, et exaudi orationem servi tui.

Vestra quoque suffragia imploro, beatissima Virgo Maria, sancti Angeli, et omnes Sancti et Electi Dei! laudate, benedicite et superexaltate Dominum mecum, mihique gratiam obtinete, illum perfecte cognoscendi et amandi in via, ut demum in patria eo perfruar vobiscum in aeternum.

Nunc et deprecationem meam coram te, Domine Deus, effundo pro omnibus, pro quibus orare teneor, ut in cunctis necessitatibus opem tuam sibi sentiant adesse. Respice Ecclesiam tuam, eamque pacificare et coadunare digne-

ris una cum Papa nostro et Antistite nostro, cunctisque Episcopis et Pastoribus: fac eos in tuo servitio ferventes, ut cum grege sibi commisso ad vitam perveniant sempiternam. Respice Regem nostrum, atque omnes Reges et Principes, omnemque Magistratum: da illis sapientiam et concordiam, zelumque justitiae et religionis. Commendo tibi omnes domesticos et familiares, consanguineos et affines, benefactores et adversarios meos: concede singulis, quod scis eis expedire ad salutem mentis et corporis. Da afflictis consolationem, infirmis sanitatem, peccatoribus veniam, justis perseverantiam, vivis pacem, et requiem defunctis.

Haec te obsecro, benignissime Pater, per Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum in unitate Spiritus sancti benedictus sit in saecula saeculorum. Amen.

* * *

Dignare, Domine, die isto — ℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Miserere nostri, Domine. ℟. Miserere nostri.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Benignissime Deus, qui nos ad initium hujus diei incolumes perduxisti: gratiam, quaesumus, nobis uberem largire, qua delicta nostra emendare, vitam sancte instituere, et de die in diem Sacerdotii tui consortio digniores fieri vale-

amus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem, faciens in nobis, quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in coelis! sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Salutatio Angelica.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostrae. Amen.

Symbolum Apostolicum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae: et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos,

sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: et vitam aeternam. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, descendat super nos, et maneat semper! ℟. Amen.

ALIAE PRECES MATUTINAE,

ETIAM INTERDIU DICENDAE.

Adoratio.

Omnipotens aeterne Deus, Rex coeli et terrae, et Creator universorum! ego indignissima creatura tua ante Majestatem tuam humillime provolutus terrae adhaerens, ex qua plasmasti me et in quam reversurus sum, omni majori affectu, attentione et reverentia, quibus scio et possum, adoro te. In quo autem deficio, quia non sufficiens est affectus meus ad infinitatem tuam ut par est recognoscendam, suppleas tu, o Trinitas individua. Si enim te cognoscerem, et comprehenderem aliqua ex parte altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae tuae: tunc perfectius te adorarem, et cum omni militia coelestis exercitus hymnum canerem gloriae tuae. Sed quis sum ego, ut audeam faciem meam levare ad te, et aspicere altitudinem coeli? Gaudeo tamen, quod sine te ni-

hil sum, nihil possum: nec vellem aliquid esse aut posse, nisi dependenter a te. Et ideo omni momento peregrinationis meae cum infima mentis et corporis demissione intendo te adorare; tibique offero in supplementum imperfectionis meae omnes adorationes Domini mei Jesu Christi, beatissimae Virginis, omniumque Angelorum et Electorum tuorum, atque eorum affectu ac veneratione adoro te.

Gratiarum actio.

Tibi laus, tibi gratiarum actio, quia ab initio et ante saecula, nullis meis praecedentibus meritis, praedestinasti me conformem fieri imagini Filii tui, atque ut salutem consequerer, media necessaria sapientissime praeordinasti. Licet enim ignorem, utrum amore vel odio dignus sim, sed omnia in futurum reserventur incerta: spero tamen in infinita tua bonitate, me futurum vas misericordiae, per merita Jesu Christi Domini mei. Benedico te, Pater, Domine coeli et terrae, quia, cum placuit tibi, ex nihilo cuncta creasti, ut notam faceres potentiam tuam. Omnia autem, quae fecisti, continua quadam creatione conservas. Sicut enim occidente sole lux desinit esse, ita te subtrahente concursum universa haec machina dissolveretur. Quia vero propter peccatum primi parentis totum genus humanum miserabiliter perierat, cum perditos homines in aeternum damnare potuisses, misericordiam praestare miseris maluisti. Et qualem misericordiam! Ut servum redimeres, Filium tradidisti. Gratias itaque ago, omni qua valeo virtute, infinitae pietati tuae pro copiosa

redemtione, qua nobis perditis subvenire dignatus es per eumdem Filium tuum, qui mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram, et nunc sedens ad dexteram tuam interpellat pro nobis, constitutus a te judex vivorum et mortuorum. Magna sunt beneficia, quae in assumta humanitate praestitit nobis: Sacramenta enim instituit, quibus levamur, mundamur, roboramur, nutrimur, et ad vitam aeternam praeparamur; exemplis quoque et doctrina instruxit nos, ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus. Non tamen omnibus prodest, justissime Deus, efficacissima Christi redemtio; nam multi sunt infideles inimici tui, qui Filii tui Evangelium vel ignorent vel contemnant. Me vero nasci voluisti in Ecclesia tua, extra quam non est salus nec vita. (Insuper spectabilem me fecisti in domo tua, ut ascenderem ad altare tuum, et offerrem tibi Sacrificium in odorem suavitatis.) Corpus etiam dedisti mihi aptum ad animae functiones, et sortitus sum te largiente animam bonam. Impulsus saepe fui, ut caderem; et tu me suscepisti. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; et tu me liberasti. Absconderunt laqueum mihi inimici mei, et tu eo contrito eripuisti me. Nullus erit finis, si cuncta bona recensere voluero, quae fecisti mihi, quorum plurima occulta sunt, quaeque quotidie multiplicantur, donec perveniam ad cumulum omnium bonorum, ad gloriam, quam praeparasti diligentibus te.

Pro his omnibus gratias ago tibi. Sit nomen tuum benedictum in saecula; et tibi pro

me gratias agant omnes Angeli et Sancti tui, teque exaltent quantum possunt, quia major es omni laude.

Contritio.

Sed vae misero, quia tot beneficiis tuis ingratus non cessavi peccare et offendere te. Non enim feci voluntatem tuam; sed omnem justitiam tuam praevaricatus sum, et legem tuam non custodivi. Cecidit super me infelicitas Cain: vagus enim et profugus erravi, longe a te currens sine fine per creaturas, quarum species decepit me. Et nunc recolo vias meas nequissimas in amaritudine animae meae, et confiteor dedecora mea in laude tua. Doleo ex toto corde, quod offenderim te, quem amo super omnia, et statuo firmiter non peccare amplius, atque omnia potius tormenta perpeti, quam quidpiam scienter perpetrare, quod tuae displiceat Majestati. Confirma, Domine, hanc voluntatem, et qui mihi dedisti cognoscere flagitia mea, da ea ex toto corde detestari, et perfice dolorem meum: sana languores meos medicamento poenitentiae, et fac me digne pro transactis culpis satisfacere. Quia vero non est sufficiens, quidquid passus fuero, ad promerendam delictorum veniam, quibus te offendi Deum meum, cujus magnitudinis non est finis: ideo acerbissimam passionem Filii tui offero tibi, merita quoque B. Virginis et omnium Sanctorum, et cum his omnia opera mea et gemitus meos, quos ipse nosti. Ignosce Domine, placare Domine, attende et fac. In tua siquidem bonitate confido, quod per merita pretiosi sanguinis Sal-

vatoris mei Jesu Christi remissurus sis mihi omnia delicta mea, et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam.

Petitio.

Inclina aurem tuam ad preces meas, Domine Deus, refugium meum, et custodi me hodie a rugientibus praeparatis ad escam, ab incursu et daemonio meridiano. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, et doce me facere voluntatem tuam. Da cordi meo te desiderare, desiderando quaerere, quaerendo invenire, inveniendo perfecte amare. Expelle a me spiritum elationis, et extingue desideria carnis. Pone custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea. Da patientiam in adversis, continentiam in prosperis, terrena despicere, et amare coelestia. Vilescant mihi omnia transitoria, nec aliquid cupiam extra te. Auge in me fidem, spem, charitatem, et da thesaurum humilitatis tuae. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam. Tu scis, Domine, quid a te petere debeam: id tu mihi largire, qui solus omnia potes. In te enim confido, et scio, quia non confundar.

Oblatio.

Timor et tremor veniunt super me, cum recogito dies meos, quibus perdite vixi bibens aquam Aegypti, qua sitis non sedatur, et avolans a te, quasi columba seducta non habens cor. Verumtamen ego loquar ad te, cum sim pulvis et cinis, et effundam in conspectu tuo querimonias meas, afflicti cordis interpretes et

nuntias ardentissimi desiderii, quo concupisco redire ad te, et meipsum tibi in holocaustum offerre in unione illius sacrificii, quod pro me in cruce litatum est. Haec est spes mea multa nimis, in qua singulariter constitutus non erubescam surgere de pulvere, et excusso mundi jugo accedere ad te, et dicere: Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione mea. Multae quidem sunt iniquitates meae, quibus iram merui: sed multo major misericordia tua, cujus non est finis. Et si ego indignus sum gratia tua, respice in faciem Christi tui pro me pendentis in cruce: nam ipse veniam postulat pro me gemitibus inenarrabilibus. In ipso et per ipsum offero tibi omnia peccata mea, ut ea comburas igne ardentissimo charitatis ejus, meque dealbes in sanguine ipsius. Offero etiam tibi post scelera mea, quae vere sunt mea, omnia bona quae sunt in me, quae vere sunt tua. Tu enim dedisti mihi et velle et perficere, praeveniens me benedictionibus tuis, et omnis sufficientia mea ex te est. Trado igitur tibi animam meam, viscera mea, sensus meos et ossa mea, ut possideas me totum tanquam rem tuam, et adimpleas me laetitia cum vultu tuo. Quidquid in me est et extra me, tibi sacrifico, ut totus tuus sim, nec aliqua creatura in me habeat quidquam. Tu es enim susceptor animae meae, et posuisti signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. Fiat voluntas tua in me, per me, et de me, in tempore et in aeternitate.

Invocatio Sanctorum.

Dulcissima Virgo Maria, Mater Dei et Domini nostri Jesu Christi, refugium peccatorum et mater misericordiae! me hodie et semper in tuam singularem custodiam humillima devotione commendo. Dirige me servum tuum in omnibus viis et actionibus, consolare in omnibus aerumnis et angustiis, tuere et praeserva a cunctis malis et periculis. Converte faciem tuam ad me, cum finis advenerit vitae meae, et in hora illa tremenda consolatio tua laetificet spiritum meum.

Adeste mihi, Angeli sancti, signacula divinae similitudinis, pleni sapientia et perfecti decore: adeste et defendite me ab incursu malignorum spirituum, ab hostium fraudibus et insidiis. Et tu, Angele mi custos, qui semper videns faciem Patris, semper assistis mihi: protege me ab incursione diaboli ubicunque fuero. Excita me torpentem, consolare moerentem, confirma labentem, sublevа oppressum, adjuva periclitantem. Custodi me in omnibus viis meis, ne unquam offendam ad lapidem pedem meum. Nec deseras me in extremo agone versantem, et esto morienti singulare solatium, qui es viventi salutare praesidium.

Salvete, Sancti et Amici Dei! salvete et gaudete, quia transacto mortalitatis pelago ad beatae tranquillitatis portum jam securi pervenistis. Memores estote fratrum vestrorum, qui adhuc navigant hoc mare magnum et spatiosum, in quo sunt horribilia monstra hianti ore parata ad praedam. Eripite nos de aquis multis et de limo profundi, fusis precibus ad eum,

qui dominatur potestati maris, ut statuat procellam ejus in auram, et sileant fluctus ejus. Vos, gloriosissimi Protectores ac Tutelares mei, et omnes Sancti et Sanctae Dei, quorum hodie festivitas celebratur: subvenite mihi misero peccatori, sedenti in tenebris et umbra mortis; solvite vincula captivitatis meae, ut semper sim memor mandatorum Dei ad faciendum ea. Miseremini mei, et liberate me a tumultuantium affectionum turba, ut discam mihi ipsi mori, et illi soli vivere, qui est vera vita et salus animae meae et merces mea magna nimis.

Postulatio
pro Vivis et Defunctis.

Exaudi orationem servi tui, Domine Deus noster, misericors et clemens, et ostende faciem tuam super Ecclesiam, quam aedificasti tibi in fortitudine tua et in magnitudine brachii tui. Percute dorsa inimicorum ejus, et qui oderunt eam, non consurgant. Conserva eam quietam et tranquillam usque ad mundi consummationem, et portae inferi non praevaleant adversus eam. Ne despicias populum tuum, quem redemisti tibi pretioso sanguine Filii tui: permaneat in sanctificatione Ecclesia tua, et ne claudas ora canentium te, ut omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, et non est alius praeter te. Auge in nobis puritatem fidei et munditiam sanctitatis; nec unquam seducamur ab iis, qui sub specie doctrinae vel pietatis animas curiosas et inprovidas a tua sancta romana catholica Ecclesia abducere co-

corporaliter et spiritualiter educarunt; fac eos, Domine, sic transire per bona temporalia, ut non amittant aeterna. Tu qui in misericordia disponis omnia, exaudi me clementiam tuam implorantem pro universis, qui in carcere et captivitate sunt; pro aegrotis, tentatis, tribulatis, desolatis et afflictis; pro his, qui in peccato mortali obdurati sunt et computrescunt in sordibus suis; pro his, qui persecutionem patiuntur; pro constitutis in agone mortis aut in aliqua gravi necessitate: ut ex tua largitate libertatem, salutem, consolationem, victoriam, gratiam, donum contritionis, felicem mortem, suarumque necessitatum remedium consequantur. Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intime diligo; pro iis, qui pravo affectu et mala voluntate erga me sunt, vel aliquid contra me moliuntur, qui me factis aut verbis offenderunt vel ad peccatum induxerunt: ut eis in omnibus benefacias, et pro infamia, qua me affecerunt, honorem, pro detractionibus bonam famam, pro odio in me sanctissimum amorem tuum, et pro omnibus malis adversum me irrogatis bona temporalia saluti eorum utilia et aeternam vitam retribuas. Illos vero, quos ego offendi aut scandalizavi, protege et defende ab omni malo; et gratiam tuam eis infunde, ut per veram emendationem et confessionem omnium delictorum veniam consequantur. Miserere omnium hominum, quos creasti, Deus omnium, et ostende universis populis lumen miserationum tuarum. Immitte timorem tuum super barbaras nationes, ut cognoscant, quia non

est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua. Illumina omnes gentes a fide alienas, aufer velamen a cordibus eorum, et in domum Ecclesiae tuae eas intrare compelle. Adesto omnibus, qui se commendaverunt indignis orationibus meis, vel quibus quacunque ex causa debitor sum; omnibus item amicis, familiaribus, benefactoribus, confessariis et superioribus meis; omnibus illis, qui se meo patrocinio, curae ac tutelae commendaverunt: exue illos a peccatis praeteritis, custodi ab imminentibus, praeserva a futuris. Vincat te pietas tua, Rex aeterne, cui omnia vivunt, et propitiare animabus omnium fidelium defunctorum, consanguineorum, affinium, amicorum et benefactorum meorum, super quas invocatum est nomen tuum. Ostende illis faciem tuam, et pone in conspectu tuo preces Ecclesiae tuae sponsae, quae pro illis clamat ad te die ac nocte. Libera eas de ore leonis, ut cantare incipiant canticum novum, misericordias tuas fideles, teque collaudent cum caeteris Sanctis tuis gloriosum et benedictum in saecula saeculorum. Amen.

Pax et benedictio Domini mei Jesu Christi, et virtus sacratissimae Passionis ejus; signum sanctae Crucis, et titulus triumphalis Jesus Nazarenus Rex Judaeorum; integritas purissimae Virginis Mariae, custodia sanctorum Angelorum, et suffragia omnium Sanctorum sint inter me et omnes inimicos meos visibiles et invisibiles, hodie et semper et in hora mortis meae. Amen.

EXERCITIUM CONFESSIONIS.

ANTE CONFESSIONEM.

Ante examen conscientiae.

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quaeso, splendore gratiae cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus et peccata mea, eaque cum vero cordis dolore ac contritione confitear, sicut oportet, coram te et Sacerdote ministro tuo, ac plene pro iisdem satisfaciam, eademque emendem ad laudem et gloriam tuam et salutem animae meae.

Conscientia discussa dicitur.

Conditor coeli et terrae, Rex regum et Dominus dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem tuam, ac proprio tuo sanguine redemisti, et quem ego peccator non sum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare: te suppliciter deprecor et humiliter exoro, ut clementer respicias me servum tuum nequam. Miserere mei, qui misertus fuisti mulieris chananeae et Mariae Magdalenae, pepercisti Publicano et Latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor, piissime Deus, peccata mea: quae, si volo, abscondere tibi, non possum. Parce mihi, Christe, quem ego multum offendi cogitando, loquendo, operando, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo, Domine, precor tuam clementiam, qui de coelo pro salute mea descendisti; qui David a peccati lapsu

erexisti, parce mihi Domine; parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus et Redemtor meus, Dominus meus et Salvator meus, Rex meus et Deus meus. Tu es spes et fiducia mea, gubernatio et auxiliatio mea, consolatio et fortitudo mea, defensio et liberatio mea, vita et resurrectio mea, lumen et desiderium meum, adjutorium et patrocinium meum. Te deprecor et rogo: adjuva me, et salvus ero; guberna me, et defende me; conforta me, et consolare me; confirma me, et laetifica me; illumina me, et visita me. Suscita me mortuum, quia factura tua et opus tuum sum. Domine, ne despicias me, quia famulus et servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus et peccator; sed qualiscunque sim, sive bonus, sive malus, semper tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te? Si tu me ejicis, quis me recipiet? Si tu me despicis, quis me aspiciet? Recognosce me ergo indignum ad te refugientem, quamvis sim vilis et immundus: quia si vilis et immundus sum, potes me mundare; si caecus sum, potes me illuminare; si infirmus sum, potes me sanare; si mortuus et sepultus sum, potes me suscitare: quia major est misericordia tua quam exiguitas mea, major est pietas tua quam impietas mea; plus potes dimittere, quam ego committere, et plus parcere, quam ego peccator peccare. Dic animae meae: Salus tua ego sum! qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat. Converte me Domine ad te, et noli irasci contra me. Deprecor te, clementissime Deus; propter misericordiam tuam sup-

plico et exoro, ut perducas me ad bonum finem, et ad veram poenitentiam, puram confessionem, et dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

Alia Oratio ante Confessionem.

Ad te, piissime Jesu, refugium meum et consolatio mea, ad te moerens et tristis venio, recogitans tibi annos meos et delicta mea in amaritudine animae meae. Ad te verba doloris effundo, misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri et parcere, tollens peccata mea, quae sunt maxima miseria mea. Ne despicias voces et singultus ovis perditae et filii prodigi ad tuam pietatem redeuntis de regione longinqua: non enim laetaris in perditione morientium, qui, ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terrae retribui tibi mala pro bonis: et heu, quot mala et quam gravia peccata pro tantis et tam eximiis bonis. Et tamen loqueris ad sponsam tuam, praevaricatricem animam meam, ut revertatur ad te, et suscipias eam; quia misericordia super omnia opera tua, et major est bonitas tua, quam iniquitas mea. Surgo igitur, et venio ad te corde contrito et humiliato; venio, ut laver, o fons aeternae vitae, ad quem sitio sicut cervus ad fontes aquarum; venio, ut illuminer, o lux mea, et amem te, et confitear adversum me injustitiam meam. Emitte lucem tuam et veritatem tuam, et illumina mentem meam, ut omnia mala mea, quae commisi, et bona, quae omisi, distincte cognoscam et integre confitear, nec me permittas computrescere in sordibus

meis, tu, qui omnium misereris, et nihil odisti eorum quae fecisti. Fac me assueta mala relinquere, et tibi placitis operibus occupari, ut, ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: et sicut fuit sensus meus ut errarem a te, decies tantum iterum conversus requiram te. Doleo, benignissime Jesu, de omnibus et singulis peccatis meis, eaque detestor super omnia mala, non solum arido et imperfecto corde meo, sed corde etiam et affectu omnium vere poenitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus: firmiterque propono, quaelibet potius subire mala, quam iterum peccato consentire. Exactissime item confiteri volo, tibique et proximo integre satisfacere, atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quidquid vero mihi deest, suppleat mors tua, sanguis tuus et superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero, et gratiam, mores meos corrigendi et in bono usque ad finem perseverandi. Et nunc Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam, et perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui, et separa a me, quidquid displiceat majestati tuae. Purifica omne quod tibi placet in me, ut in te vivam, non in me, et in te moriar et propter te, Salvator meus. Amen.

Actus brevior Contritionis et Propositi.

1. Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, Creator et Redemtor meus! 2. Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum et

Deum meum. 3. Quem amo super omnia. 4. Et propono firmiter, amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri, et implere poenitentiam, quae mihi fuerit injuncta. 5. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem, ac mortem tuam, totumque pretium Sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum, atque omnia opera mea et totam vitam meam. 6. Et confido in bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi Sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea. 7. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam. Qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis et regnas Deus in saecula benedictus, Amen.

Ingressurus Confessionale dicas:

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus, venio ad te superfluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula, et munder ab omni peccato, Amen.

POST CONFESSIONEM.

PSALMUS CII.

Benedic anima mea Domino: et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas:

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat Ortus ab Occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus, et memores sunt mandatorum ejus ad faciendum ea.

Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Domino.

Gloria Patri et Filio: et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Gratias ago tibi, Domine Pater et dux vitae meae, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam judicio, et projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis s. Propheta David, vir secundum cor tuum, s. Petrus Princeps Apostolorum, ac reliqui poenitentes: quam libenter totus in lacrymas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meae, et ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi, et aruit sicut testa virtus mea; cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemtorem meum, ejusque lacrymas offeram tibi, quas ille pro me uberrime effudit, ut iis placatus aperias mihi januas misericordiae tuae, et suscipias me servum fugitivum venientem ad te et ab inimicis fugientem. Respice in me et miserere mei, Domine patiens et misericors, loquere ad petram cordis mei et percute virga virtutis tuae, ut fluant aquae compunctionis, aquae salutares, quibus sanabitur et dealbabitur anima mea. Confirma hoc, quod operatus es in me, tibique grata et accepta sit confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pie-

tas tua. Misericordiam tuam imploro, et veniam postulo cum inviolabili proposito deinceps non peccandi, et studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris diutius me vagari post vanitatem vitae hujus; transeunt enim dies et dies, anni et anni, et ecce nihil proficio. Convertere ergo et deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salves et recipias in gratiam tuam, Deus meus, adjutor meus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio post Confessionem.

Benignissime Jesu, per cordis tui contritiones et tuae passionis meritum supplere digneris omnem defectum contritionis meae et confessionis: et concede, ut diligentius solito peccata omnia et eorum occasiones fugiam. Quod, in tua gratia confidens, firmiter propono, eligens potius quodlibet malum aut damnum subire et perpeti, quam scienter et ex proposito te offendere, voluntatemque tuam vel in minimo transgredi. Adjuva me, Domine Deus meus, quia sine te nihil possum. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Antiphona. Ne reminiscaris.

PSALMUS VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS XXXI.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tóta die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS XXXVII.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS L.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS CI.

Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem Domine in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemtorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS CXLII.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIAE MAJORES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli,
Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,
Orate.
Sancte Joannes Baptista, Ora.
Sancte Joseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Orate.

Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, Orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, Orate.
Omnes sancti Innocentes, Orate.
Sancte Stephane, Ora.
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancti Fabiane et Sebastiane, Orate.
Sancti Joannes et Paule, Orate.
Sancti Cosma et Damiane, Orate.
Sancti Gervasi et Protasi, Orate.
Omnes sancti Martyres, Orate.
Sancte Silvester, Ora.
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,

Sancte Martine, Ora.
Sancte Nicolae,
Omnes sancti Pontifices et Confessores,
Orate.
Omnes sancti Doctores, Orate.
Sancte Antoni, Ora.
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, Orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, Orate.
Sancta Maria Magdalena, Ora.
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei,
Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera.
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
fulgure et tempestate,
morte perpetua,

Per mysterium sanctae Incarnationis tuae, Libera.
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut Domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus.
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. *Secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

PSALMUS LXIX.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur: qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te: et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris. ℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam, Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum

catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

EXERCITIUM COMMUNIONIS.

ANTE COMMUNIONEM.

Dominus meus et Deus meus! grande est opus, quod aggredior: non enim homini mortali, sed tibi Regi coelorum immortali et in-

visibili, habitationem praeparo. Orna ipse domum, quam ingredieris: purifica animam meam, rumpe vincula peccatorum meorum, ut digne te recipere valeam.

Domine Jesu, vere Deus et vere homo, firma fide credo ac confiteor, te, qui olim nascens te in socium, moriensque dedisti in pretium, et nunc regnans te das in praemium, vere et realiter esse praesentem in hoc Sacramento. Vere sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Nec est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades nobis. Tu enim, veritas aeterna, dixisti: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducaverit ex hoc pane, non morietur. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc est enim Corpus meum. Certior sum, te verum Deum et verum Hominem, carnem et sanguinem tuum, corpus tuum et animam tuam, divinitatem sanctamque humanitatem tuam contineri et velari his speciebus, quam si te propriis viderem oculis. Adoro te Creatorem, Redemtorem ac summum Bonum. Si pro hac fide mori me oporteret, mortem eligerem potius, quam fidem meam fallerem. Ideo renuncio omni, quod sensus mei aut ratio mea contrarium huic fidei suggerere possint. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae.

Domine virtutum! beatus homo, qui sperat in te. Spero in te omnis boni fonte et gratiae auctore, quem in hoc Sacramento praesentem habeo. Idcirco ad mensam dulcissimi convivii tui ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate accedo. Suavis enim es tu, et multae sunt misericordiae tuae omnibus invocantibus te. Tu solus dare potes omnia, quia omnipotens; tu dare vis omnia, quia infinite bonus es. Tu es spes, salus, lux et vita mea. Tu parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, adversus mundum, carnem ac diabolum. Propter hoc laetatur cor meum. Spero enim, nihil non daturum te mihi, qui dare te ipsum non recusas. In te Domine confido: non confundas me ab expectatione mea. Venio ad te, quia bonitas tua me invitat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Domine Jesu Christe! quanta fuit tui vis amoris, quae te, quem terra, pontus, sidera colunt, adorant et praedicant; te, qui trinam, coelestium, terrestrium et infernorum regis machinam; te, qui fuisti apud Patrem ante constitutionem mundi; te traxit e sinu Patris, ut formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, venires in hunc mundum, perambulares terram benefaciendo omnibus, innumerasque miserias ac injurias propter salutem nostram ferres! Quantus amor! damnare nos poteras, et salvare voluisti: nos rei eramus, et tu innocens supplicium subiisti. Tulisti clavos,

lanceam, multamque ignominiam, sudores et angores, atrocissimam denique mortem, ut nos Patri reconciliares, ac reos liberares. Denique pridie, quam patereris, abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris Sacramentum hoc instituisti, praecipiens Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem! ut modo prorsus novo et mirabili maneres nobiscum, et sic monstrares, delicias tuas esse cum filiis hominum. Quanto amore dignus es Domine, qui tot ac tanta fecisti amore erga nos! Diligam itaque te Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum ac liberator meus. Cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar vinculo amoris. Tu es enim charitas: et qui manet in charitate, in te manet, et tu manes in illo.

Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Rex coeli et terrae, quem laudant Angeli atque Archangeli, quem adorant Dominationes, coram quo tremunt Potestates: quid est homo, quod memor es ejus, faciens ei memoriam mirabilium tuorum? quid est filius hominis, quoniam visitas eum, Angelorum esca eum nutriens, et panem de coelo praestans ei? Unde hoc mihi, ut venias ad me, ut fiam templum et habitaculum tuum? Venis Domine ad servum, Creator ad eum, quem creavit dextera tua. Tu suprema es majestas atque sanctitas ipsa, ego vero cinis et pulvis, vermis et peccator sum: et ego ad te accedere audeam? panem Angelorum manducem? corpore et sanguine Filii Dei reficiar? Etiamsi puritatem Angelorum et Sanc-

torum haberem, indignus tamen essem tanta gratia: quomodo appropinquem plenus peccatis et imperfectionibus! Timeo sane, ne habeam vestem nuptialem. Confidens solum in infinita misericordia tua ad te venio.

Dies beata, qua te, Jesu mi, fruar! Panis sancte, panis cor hominis confirmans, quem qui manducat, vivet in aeternum, qui non manducat, vitam non habebit. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria tua. Refice esurientem animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hunc mundum usque ad montem sanctum tuum, donec in regno tuo satier ab ubertate domus tuae. Desiderio desiderasti manducare pascha cum discipulis tuis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat et anima mea ad te, Deus. Veni, Domine, et noli tardare; sed veniat, obsecro, tecum illa multum desiderabilis bonitas, mansuetudo et charitas tua, per quam excusetur et juvetur miseria mea. Veni desiderate cunctis gentibus, veni ad docendum me viam prudentiae, et salvandum me in manu forti et brachio extento. Sanctifica animam desiderantem te, quaerentem te, properantem ad te. Veni, Domine Jesu, et veniant super me universae benedictiones tuae. Amen.

POST COMMUNIONEM.

Quod concupivi, jam video; quod speravi, jam teneo; quod desideravi, jam habeo: possideo eum, qui potest et possidet omnia. Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus.

O me felicem! quam potentem suscepi Dominum! quam dilectum induxi hospitem! quam fidelem acceptavi amicum! Omnipotens, qui est ante saecula, Filius Dei, Redemtor meus, Judex meus, Deus meus requiescit in corde meo. Quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis!

Quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere, quos dilexisti, in finem dilexisti eos. Cum non essem, e nihilo eduxisti me; cum per peccatum inimicus tuus essem, in gratiam recepisti me; cum viverem abjectus in domo meâ, de pulvere eduxisti me, et constituisti me cum principibus populi tui, ut comederem panem in mensa tua, in qua ineffabili prorsus amore carnem tuam in cibum mihi dare dignatus es. Et ego te non redamem, o Jesu amantissime? Utinam eo erga te flagrarem amore, quo flagrarunt devoti, qui debita praeparatione ac fructu hoc Sacramentum unquam receperunt, quo flagrarunt omnes Sancti, quo tu ipse in nos flagrasti! Utinam ita unus essem tecum, ut tu cum Patre unus es! Utinam adhaererem tibi, uti palmes adhaeret viti! Utinam neque vita, neque mors, neque instantia, neque futura, neque creatura ulla unquam me separarent a charitate tua! Hoc volo, hoc desidero, hoc tota mente concupisco; hoc et maxima cum fiducia spero. Memini enim benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando suscepere. Imple igitur et me, Domine, spiritu tuo, et benedic domui, quam in-

gressus es. Concede mihi spiritus tui fervorem, amoris tui suavitatem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentationibus fortitudinem, in adversis patientiam, in prosperis humilitatem, in ore veritatem, in opere stabilitatem, in moribus gravitatem. Gratia tua mecum sit, mecum laboret, et mecum usque in finem perseveret. Auge in me fidem, spem et charitatem, quae non resideat in lingua, sed quae se prodat servando mandata tua. Sanctifica, conforta ac defende me. Sis dux meus in via, in dubio magister, solamen in angustiis, salus in agone. Custodi me, ne diligam mundum, nec ea quae in mundo sunt, ne in peccandi consuetudinem incidam. Protege me contra eos, qui me seducere, et, quae impia sunt, student docere. Mitigasti tribus pueris flammas ignium: da et mihi, ut non me exurat flamma vitiorum. Da mihi castitatem, quae immunis sit ab omni violatione vel illicito consensu, et quam nec impura cogitatione nec verbo obscoeno polluam. Fac, ut quotidie in virtute proficiam, ut tranquilla et pura conscientia tibi serviam, ut superioribus meis promto animo obediam, ut semper voluntatem tuam faciam. Perceptio corporis tui non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit scelerum meorum ablutio; sit peccatorum meorum remissio; sit fragilitatis meae fortitudo; sit omnium virtutum augmentatio; sit in te uno ac vero Deo firma adhaesio. Curet debilitatem meam, foeditatem lavet, coecitatem illuminet, paupertatem ditet, vestiat nuditatem. Euntem me conducat,

errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. Det gratiam et illis, pro quibus orare teneor, omnibusque vivis, ut tibi placeant; largiatur denique vitam beatam fidelibus defunctis.

Scrutator cordium et renum! tu formasti me et suscepisti me a nativitate mea. Quidquid possum, quidquid possideo, quidquid sum, id totum largitus es mihi. Obtulisti te pro me in cruce, et in Eucharistia dedisti mihi Corpus et Sanguinem tuum. En servus tuus, Domine! Omnia mea tua sint! Totum me tibi devoveo. Quidquid cogito, loquor, operor ac patior, te respiciat. Omnes facultates animae viresque corporis tuo sint consecratae servitio. Habeto me in servum sempiternum. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti, ac toties hoc amoris pabulo refecisti. Hora denique mortis voca me, dimitte me in pace, ac jube me venire ad te, ut te, quem nunc speciebus velatum peregrinans video, facie ad faciem intuear in patria, et cum omnibus Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

PRECES PRO LUCRANDIS INDULGENTIIS.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordia tua a peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius maneam. Cum vero his diluendis opera mea non sufficiant, ad inex-

haustum meritorum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi Sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati ac indigentiae meae subveniatur. Promtum me ad omnia, quae hunc in finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis ejusdem Filii tui, plenariaeque hujus Indulgentiae me licet indignum fac participem.

Memento, Pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit. Hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, haereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso tantoque redemtionis pretio. Respice benigne ejusdem sanctae Matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te, Deum Patrem, et quem misisti, Jesum Christum, una cum Spiritu sancto fide viva agnoscant, spe firma invocent, et charitate perfecta complectantur. Amen. *Adde bis* Pater *et* Ave *pro exaltatione s. Matris Ecclesiae.*

O Jesu, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum! fac, oro, per inaestimabilem passionis et mortis tuae virtutem, ut pulsis haeresum et errorum tenebris, veritatis tuae lumen omnes amplectantur, et in optatum Ecclesiae tuae gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti: gregem tuum protege, et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in

vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ostende, Ecclesiam tuam aedificatam esse super petram, et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen. *Adde bis* Pater *et* Ave *pro extirpatione haeresum.*

O sancte Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti! largire christianis Principibus eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque charitatis mandato, quod Jesus abiens ex hoc mundo discipulis suis dedit, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes cognoscant, eos in numero filiorum Dei censendos et christiano nomine dignos. Fac, ne ulla unquam cupiditate abducti quidquam moliantur, quod divinae tuae gloriae, concordiaeque Ecclesiae adversetur, sed unitis potius viribus ad pacis aeternae visionem, ad coelestem Hierusalem populum sibi subjectum una secum perducere nitantur. Amen. *Adde ter* Pater *et* Ave *pro catholicorum Principum concordia et christiani populi salute et tranquillitate.*

Suscipe nunc, o sanctissima Trinitas, preces et opera, quae ad plenariam debitarum poenarum Indulgentiam impetrandam quomodocunque praestiti, et fac, ut horum defectus passione et morte Domini nostri Jesu Christi ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso Sanguine suppleantur. Fac me (*vel* animam istam N.)

hujus magni beneficii participem: pro quo tibi coelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent nunc et in perpetuum. Amen.

PRAEPARATIO AD MISSAM
PRO
OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. (*Tempore paschali additur* Alleluja.)

Quae Antiphona Festis duplicibus tantum duplicatur. Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

PSALMUS LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus!

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS LXXXIV.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS LXXXV.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me, et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS CXV.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMUS CXXIX.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat.

Antiph. repet. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris. (Alleluja.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi: Domine, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum.
℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus rénes nostras et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Dnmine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Gregorius III. Pontifex maximus concessit cuilibet dicenti ante Missam, quae sequuntur, quinquaginta annorum Indulgentiam.

Ego volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

ORATIONES

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS ANTE CELEBRATIONEM DICENDAE.

ORATIO s. AMBROSII EPISCOPI.

Die Dominica.

Summe Sacerdos et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti, dicens: Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis! rogo per eumdem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in Sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter caetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, — doce me,

quaeso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem; profunda quippe sunt nimis et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti Angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae et coenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur, qui nos persequuntur: pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

Rex virginum et amator castitatis et integritatis! coelesti rore benedictionis tuae extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum caeteris donis tuis, quae tibi placent in veritate:

ut Sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate istud divinum et coeleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es Sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria tertia.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc Sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum laetitia spiritali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuito meo.

Feria quarta.

Ego enim, Domine, memor venerandae Passionis tuae, accedo ad altare tuum, licet pec-

cator, ut offeram tibi Sacrificium, quod tu instituisti et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua et pro populo, quem acquisisti Sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses: nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemtio. Profero etiam, Domine, (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti. Memorare, quae sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui

nominis officia praestolantem, aspicere digneris: et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te Pane vivo, qui de coelo descendisti et das vitam mundo; de tua Carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae de sancto et glorioso beatae Virginis Mariae utero est assumta et de Spiritu sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati, exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita, ut placide ac benigne suscipias Sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita, ut haec coelestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita; Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis dulcissime! sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui; sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis? comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, Panis vive, Panis munde, qui descendisti de coelo et das vitam mundo! veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus, recto

tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita, ut nec esuriam nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

ALIA ORATIO ANTE MISSAM.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non satis constoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et, quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi, me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu, qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima pro me et

omni humano genere in patibulo crucis oblata! Salve nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens! Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Deus, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum: et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

ORATIO s. THOMAE AQUINATIS.

Omnipotens sempiterne Deus! ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, coecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia

et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO AD PATREM.

Respice, clementissime Pater, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et intuere hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus Filius tuus Salvator mundi pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multudinem malitiae nostrae, quia vox Sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est justitia mea, et sanctificatio ac propitiatio mea. Averte faciem tuam a peccatis meis, et respice in faciem Christi tui: ejus enim meritum offero ad te, omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti Sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias mihi creditae dispensationis officium,

licet in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te et populum tuum, ne me repellas a tua pietate cum divinissimis donis tuis venientem ad te, ut inculpate accedens ad gloriam tuam, dignus sim, qui operiar protectione unigeniti Filii tui et illuminatione Spiritus sancti tui, atque pro omnibus deprecans pro omnibus exaudiar, te praestante, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate ejusdem Spiritus sancti vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO
AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua charitate, qua transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam mihi parasti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem, omne delectamentum in se habentem, mensam pretiossisimi Corporis et Sanguinis tui, ut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et secreto illapsu nutritionis tuae roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te, et cum caeteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus et ab omni inordinata affectione perfecte emendatus essem, ut ad hanc mensam supercoelestem accedere possem fervens charitate, niveus innocentia, et omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserrimus ego sum et omni ornamento

destitutus, obsecro te inprimis, benignissime Salvator, cujus charitas immensa est, ut Sanguine tuo animam meam lavare et super nivem dealbare, meritis tuis induere, illoque igne ardentissimo succendere digneris, qui te a nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde beatissimam Virginem Matrem tuam et omnes Electos tuos, ut tibi pro me offerant charitatem, fidem et devotionem, qua hoc Sacramentum susceperunt ab initio institutionis ejus. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium Sacerdotum omniumque Fidelium hac die celebrantium et communicantium pietatem et puritatem. Offero omnium Justorum ab origine mundi usque ad ejus consummationem virtutes et merita ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in venerabili Sacramento existentem: firmissimae nimirum fidei, et vivae apprehensionis earum rerum, quae de hoc maximo mysterio credendae sunt; perfectissimae charitatis et intimae tecum familiaritatis; famis et flagrantissimi desiderii, te omne bonum suscipiendi; filialis fiduciae et spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata; zeli divinae gloriae et dilectionis proximi; admirationis tantae dignationis et profundissimae humilitatis; gaudii et jubili in te et de te; laudis, gratitudinis, adorationis ac devotionis. Hos, inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiae meae, et eos si possem elicerem cum maxima intentione ad laudem et gloriam tuam, quia dignus es. Suscipe Domine hoc desiderium meum, meri-

tisque placatus Electorum tuorum, ne a mensa tua repellas me, quatenus hoc cibo satiatus ac recreatus vitam habeam et abundantius habeam, hic et in aeternum. Amen.

ORATIO
AD SPIRITUM SANCTUM.

Veni, sancte Spiritus, amor Patris et Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, moerentium consolator, fulgor intellectus, et vindex libertatis. Veni e patria felicitatis, et cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia et defectus tuo igne consumas, et omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuae radium, quo illuminante intellectum quae tibi sunt placita videam, quo affectum inflammante ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacrae coenae convivam, meque torrente tuae voluptatis inebria, ut coelesti suavitate in hac divinissima mensa degustāta, nihil venenatae mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Roboretur infirmitas mea fortitudine tua, vincat bonitas tua malitiam meam, et deformitas mea tua pulchritudine decoretur. Sursum erige me per aeternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam, ut tuo ductu revolet anima mea ad te principium et finem suum, a quo nunquam separetur. Amen.

DIRECTIO INTENTIONIS.

Domine Deus! ego intendo hoc mane quam maximo amoris, reverentiae et devotionis affectu sanctissimum Missae Sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae: et ex nunc offero illud una cum omnibus Sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium Sanguinis Jesu Christi, merita beatissimae Virginis et omnium Sanctorum, totiusque Ecclesiae preces et laudes, in unione illius Sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit et in cruce consummavit, factus ipse Sacerdos et victima, affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi totiusque Ecclesiae, ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae ac increatae excellentiae et dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis et dependentiae a te; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis ulli unquam creaturae collatis et conferendis; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae, tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, beatissimae Virginis, ac omnium Angelorum et Sanctorum: item in augmentum gaudii Humanitatis Domini nostri Jesu Christi, in memoriam Vitae et Passionis ejusdem, et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatissimae Virginis omniumque Angelorum et Sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo propter offensam et injuriam, quam tibi irrogavi, cum firmo emendationis proposito; et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum illud pro omnibus Vivis atque Defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult ut sacrificem; pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis; pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae, christianorum Principum unione, haeresum et schismatum extirpatione, et omnium infidelium nationum conversione; pro totius Cleri et omnium Religiosorum statuum conservatione et augmento, ac pro animarum in purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. et N., qui eleemosynam dederunt et reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc Missam celebrem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas, et vivis veniam gratiamque concedas, tibi recte fideliterque serviendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

PRECATIO AD B. V. MARIAM.

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria! ego miser et indignus peccator

ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi et Sacerdotibus omnibus, hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

MEMENTO, DOMINE, SI TIBI PLACET,

VIVORUM:

1. Mei, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et omnium amicorum meorum;
2. Omnium, quibus fui gravamen, scandalum, et occasio peccandi;
3. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus;
4. Omnium Sacerdotum et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae;
5. Omnium inimicorum meorum ad dimissionem;
6. Omnium haereticorum et infidelium ad conversionem;
7. Omnium agonizantium et improvise morientium;
8. Omnium mihi commissorum in genere et specie, et omnium pro quibus vis et scis me orare debere —

MORTUORUM:

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et omnium amicorum meorum;
2. Animarum, quae occasione mei purgantur in purgatorio;
3. Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus;

4. Animarum omnium Sacerdotum et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae;

5. Animarum, quarum non est specialis memoria in terra;

6. Animarum omnium mihi commissarum in genere et in specie;

7. Animarum omnium improvisa morte corporibus exutarum;

8. Animarum omnium in purgatorio existentium, et omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

ORATIONES SACERDOTIS

AD LOTIONEM MANUUM ET VESTIUM SACERDOTALIUM ASSUMTIONEM.

Cum lavat manus: Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam: Dealba me, Domine, et munda cor meum: ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum: Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad Manipulum: Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam: Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum

sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam: Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve; fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (Alleluja.)

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

CANTICUM.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara,

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesummus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere: qui beato Lau-

rentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIONES
POST CELEBRATIONEM DICENDAE.

ORATIO s. THOMAE DE AQUINO.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor te, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio; concupiscentiae et libidinis exterminatio; charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO s. BONAVENTURAE.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

ACTUS AMORIS.

Amo te, Domine Jesu, jucunditas mea et requies mea, amo te summum et unicum bonum meum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis: et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non desidero, saltem opto id multum desiderare. Succende Domine igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem nonnisi amorem petis a me, da quod jubes, et jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima, Volo; nam si vis, potes me mundare et illuminare, potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis et mortis tuae. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. O dulcissimum verbum: Tu in me, et ego in te! O quantus amor: Tu in me vilissimo peccatore, et ego in te, Deus meus, cujus majestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero: in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari. Felix est qui te quaerit, felicior qui te possidet, felicissimus qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos

faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio; nihil sapiat mihi, nihil me alliciat, nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae; in te enim sunt omnia bona: et jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te. O Corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum! pone te ut signaculum super cor meum, et inprime illi charitatem tuam; obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in aeternum. O Sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas! lava animam meam, et pone signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei et vita animae meae! sicut tu in Patre et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit et ego mundo. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans coelos tuos et descendens, ut Sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam, non manna de coelo, sed carne

tua immaculata reficeres et satiares! Si coeli coelorum te capere non possunt, et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo: quis ego sum et quae domus mea, ut ad me venire, et in me commorari volueris? Quid in me invenisti, Rex tremendae majestatis, quod a Templo gloriae tuae traheret te et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos Angeli sancti, vos omnes Electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis, quanta fecit Deus animae meae: cum enim essem pauper et abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad coelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit et erexit de stercore, ut sederem cum Principibus, et de mensa ejus comederem. Gratias illi agite ex me, vos amici mei fidelissimi; ego enim puer sum non annis sed sensu, et nescio loqui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae charitati ejus a me reddi potest, qui frigus et gelu, non autem amor, dici mereatur? Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita ejus perfectio et dignitas, et ima ac summa indignitas mea? Sed tu Domine, miserator et clemens et immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum: ne despicias humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gra-

tias agant universi populi, tribus et linguae, omnes Angeli et Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturae, quaecunque coeli, terrae, et abyssi ambitu continentur; laudem tibi perpetuam dicant, quae a te exientes in te refluant omnium rerum principium et finem. Jubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor et gloria, a quo, per quem, et in quo sunt omnia: qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

OBLATIO.

Servus tuus sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod Majestate tua dignum et acceptabile foret: sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo delictissimum Filium tuum Dominum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit. Quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo, et dicam: Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus. Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit et glorificabit. Ipsum igitur offero tibi

velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem; in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi; ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae; et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestatis tuae. Praesta, ut deinceps nec membra nec sensus nec potentias nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea et robur meum. Doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abjecta de me omni cura et solicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. In tempore et in aeternitate id volo, quod tu ab aeterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit sive adversum. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum; sed projicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es, et mansionem apud me facere. Succende me Domine, inflamma cor

meum, viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam, et in te moriar. Amen.

PETITIONES.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me Corpore tuo immaculato et pretiosissimo Sanguine refecisti: ignosce obsecro indignitati meae, et quidquid deliqui in hujus Missae celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor praesumtionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate et charitate. Respice in me oculis misericordiae tuae, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu! quoties venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares? Ego autem contemsi te, et abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia ad te nudus et fame consumtus reversus sum, tu suscepisti me, et omnium iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi, quod amasti me amore aeterno et infinito: nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui; adstringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penétret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Inprime cordi

meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, ne uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum Sanctis operatus es: et fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus a me ipso et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc Sacrificium et pro quibus orare debeo seu tu rogari vis, da pacem, salutem et tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendaverunt. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

ALIA ORATIO POST MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum mundique redemtor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice, et Sacrificium, quod in honorem nominis tui pro salute fidelium tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe; iram tuam a me remove; gratiam et misericor-

diam mihi concede; januam Paradisi mihi pande; ab omnibus malis me potenter eripe; et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Et sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus Electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO AD B. V. MARIAM.

O sacratissima, o serenissima et inclyta gloriosa Virgo Maria, quae Creatorem omnium creaturarum in tuo sacratissimo utero fuisti digna portare, solaque virginco ubere lactare, cujus veracissimum sacrumque Corpus et Sanguinem ego indignus peccator modo sumere praesumsi: tuam humiliter deprecor misericordiam, ut apud ipsum pro me peccatore intercedere digneris: ut, quidquid in hoc tam ineffabili ac dignissimo Sacrificio per me indignum ignoranter vel negligenter aut accidentaliter seu irreverenter, scilicet in tractando et sumendo ac ministrando, actum est, commissum, vel omissum, tuis sacratissimis precibus indulgere dignetur idem Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CONCLUSIO EXERCITIORUM POST MISSAM.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,

Aqua lateris Christi munda me,
Passio Christi conforta me:
O bone Jesu exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Et ne permittas me separari a te;
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum. Amen.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier et delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium peccatorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna, et nunc, et in perpetuum. Amen.

Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, o consolatio, felicitas et omne bonum animae meae! et me amplissimae dilectioni tuae cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum cogitationum, desideriorum, verborum, actionumque mearum, nisi tu, Amor meus: Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

PRECES MISSAE,

PROUT A SACERDOTE RECITANTUR.

CUM PROPRIO EX MISSA VOTIVA DE SS. TRINITATE.

Sacerdos:

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Antiph. Introibo ad altare Dei.

Minister resp. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

PSALMUS XLII.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio: et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper: et in saecula saeculorum, Amen.

S. *Antiph. rep.* Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

(In Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive, omittitur Psalmus Judica *cum* Gloria Patri *et repetitio Antiphonae.)*

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. ascendens ad altare: Oremus. Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Osculans altare: Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea, Amen.

(*Benedicens incensum in Missa solemni:* Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, Amen.)

INTROITUS.

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Psalm.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria Patri. Sicut erat. Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Christe eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison.

HYMNUS ANGELICUS.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Bene-

dicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris, Amen.

S. Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

COLLECTA.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *M.* Amen.

EPISTOLA.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete: et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

M. Deo gratias.

Graduale. Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis in sae-

cula. Alleluja, Alleluja. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

(Post Septuagesimam omisso Alleluja et Versu sequenti dicitur Tractus. Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, laudamus, atque benedicimus. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in saecula sempiterna, o beata Trinitas.)

(Tempore paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Alleluja, Alleluja. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Alleluja.)

Ante Evangelium in medio altaris: Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Jube Domine benedicere.

Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annunciem Evangelium suum, Amen.

EVANGELIUM.

S. **Dominus vobiscum.**

M. **Et cum spiritu tuo.**

S. **Sequentia s. Evangelii secundum Joannem.**

M. **Gloria tibi Domine.**

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: ille testi-

monium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.

M. Laus tibi Christe.

S. osculans Evangelium: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

(In Missa solemni Celebrans, dicto Evangelio, benedicit incensum. Deinde Diaconus genuflexus ante altare, dicit: Munda cor meum, *ut supra, petitque benedictionem a Sacerdote, dicens:* Jube Domine benedicere, *ad quod Sacerdos respondet:* Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.)

SYMBOLUM.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos:

cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi, Amen.

S. Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

OFFERTORIUM.

Oremus.

Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Ad oblationem Hostiae. Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam, Amen.

Benedicens aquam: Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad oblationem Calicis. Offerimus tibi Domine Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat, Amen.

Inclinatus super altare: In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Benedicens Oblata: Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc Sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

(*Ad benedictionem incensi in Missa solemni:* Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum, Amen. — *Ad incensationem Oblatorum:* Incensum istud à te benedictum ascendat à te Domine, et descendat super nos misericordia tua. — *Ad incensationem altaris:* Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis. — *Reddendo thuribulum:* Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae charitatis, Amen.)

Ad lotionem manuum dicitur:

PSALMUS XXV.

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio: et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum, Amen.

(In Missis pro Defunctis, et tempore Passionis in Missis de Tempore omittitur Gloria Patri etc.)

In medio altaris sese inclinans: Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honore beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Versus ad populum: Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae.

S. Amen.

SECRETA.

Sanctifica, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem, hujus oblationis hostiam: et per eam nosmet ipsos tibi perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus:

PRAEFATIO.

Per omnia saecula saeculorum. *M.* **Amen.**

Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. *M.* Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. *M.* Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate Personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus: ut in confessione verae sempiternaeque Deitatis, et in Personis proprietas, et in Essentia unitas, et in Majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

CANON MISSAE.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia illibata: inprimis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa nostro N., et Antistite nostro N., et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro Vivis. Memento Domine, famulorum famularumque tuarum N. N., et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra Actionem. Communicantes et memoriam venerantes inprimis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Manus tenens super Oblata: Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedicens Oblata: Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi.

Nunc fit Consecratio panis in Corpus et vini in Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, eorumque elevatio et adoratio, Sacerdote dicente:

Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis

in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Facta adoratione pergit Sacerdos:

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis, offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae. — Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae: ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum

Filii tui Corpus et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Commemoratio pro Defunctis. Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. — Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria:

Per omnia saecula saeculorum. *M.* Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. *M.* Sed libera nos a malo.

Amen. Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris:

et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus:

Per omnia saecula saeculorum. *M.* Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

Particulam Hostiae in calicem immittens: Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam, Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

(In Missis Defunctorum non dicitur: Miserere nobis, *sed ejus loco:* dona eis requiem, *et in tertio:* dona eis requiem sempiternam. *Nec dicitur Oratio sequens.)*

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

(In Missa solemni, si danda est pax: Pax tecum. *M.* Et cum spiritu tuo.)

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mor-

tem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas: Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen.

Quod ore sumsimus, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

COMMUNIO.

Benedicamus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

POSTCOMMUNIO.

Oremus.

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus Sacramenti susceptio: et sempiterna sanctae Trinitatis ejusdemque individuae Unitatis confessio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. *M.* Amen.

Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

Ite, missa est. (*Vel:* Benedicamus Domino.) *M.* Deo gratias.

(*In Missis Defunctorum:* Requiescant in pace. *M.* Amen.)

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et presta: ut Sacrificium, quod oculis divinae majestatis tuae indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicens populum: Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. *M.* Amen.

Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

ORATIONES

SUB SACRIFICIO MISSAE.

ORATIO PRAEPARATORIA.

Domine Jesu Christe, Verbum Patris, qui Corporis et Sanguinis tui Sacramentum in ultima coena instituisti, illudque in passionis et mor-

tis tuae memoriam a fidelibus tuis offerri et frequentari voluisti: fac me quaeso participem meritorum et beneficiorum tuorum, quae in hac Missa rememorantur, et concede, ut cum gustu et fructu spirituali devote et attente intersim huic sanctissimo Sacrificio, quod tibi humiliter nunc offero in memoriam amarissimae tuae passionis et mortis, ad honorem sanctissimae Virginis Matris tuae Mariae omniumque Sanctorum tuorum, pro delictorum meorum remissione et purgatione, pro animae meae salute, pro totius Ecclesiae profectu, et pro refrigerio ac liberatione fidelium animarum corpore exutarum. Fac me, Domine Jesu Christe, hujus sacri mysterii cum gaudio spirituali participem, et concede ad omnium servire salutem, quod pro redemtione omnium instituere dignatus es. Amen.

AD KYRIE ELEISON.

Benigne, pie et misericors Pater, miserere mei. In remissionem omnium meorum totiusque mundi peccatorum offero tibi vitam, passionem et mortem unigeniti Filii tui, offero tibi omnia merita dulcissimae Matris illius omniumque Sanctorum, ut illorum amore mihi ignoscas, et aeternam vitam largiaris.

Pie Jesu, Redemtor mi, miserere mei. Oro te, clementissime, fac me omnium meritorum tuorum participem, ut tibi concorporatus, et virtute hujus Sacrificii unum quid tecum effectus, tibi per amorem et imitationem sanctissimae vitae tuae ubique conformis vivam, teque ut palmes in vite frui merear.

Spiritus sancte, Consolator optime, miserere mei. Illumina intellectum meum, rege corpus, moderare animam, conforta spiritum, ut vincat omnes affectus cordis inordinatos. Da fidem certam, spem firmam, et puram perfectamque charitatem. Fac, ut cum dulcedine te diligam, et in omni loco atque tempore tuae voluntati satisfaciam. Amen.

AD GLORIA IN EXCELSIS.

Omnipotens aeterne Deus! tibi sancti et humiles corde, tibi spiritus et animae justorum, tibi omnes superni cives et cuncti beatorum spirituum ordines gloriam et honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te Domine illi magnifice et honorabiliter. Laudat te homo magna portio creaturae tuae. Sed et ego peccator desiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore praecipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo mea et laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde et verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, et lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, et quia vir pollutis labiis ego sum, munda obsecro cor meum ab omni inquinamento; sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius, et fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne et laudabiliter de manu cordis et de mentis amore, suscipe sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo, et ascendat ad te in odore suavitatis. Amen.

AD COLLECTAM.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter exoramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram, Ecclesiaeque tuae preces, pro nobis omnibus ad te Sacerdotis hujus ministerio destinatas, clementer acceptes et exaudias. Ideoque pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem in diebus nostris, aëris temperiem, fertilitatem terrae: catholicae fidei unitatem, extirpationem omnium haeresium, consiliorum inpiorum destructionem, verae orthodoxaeque religionis incrementum, charitatis ac pietatis fervorem, sinceram animi devotionem, tolerantiam longanimitatemque in afflictionibus, in spe gaudium et laetitiam: omnia denique ad salutem tum animae tum corporis utilia, et ad tuae inprimis gloriae augmentum idonea. Per Dominum.

AD EPISTOLAM.

O aeterne Deus, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico Ecclesiae tuae ministerio Apostolicis, Propheticis, aliisque sacris doctrinis et monitis ad cultum et amorem tui Nominis excitare, et adversus mundi, carnis et daemonis insidias praemunire: da, quaesumus, ut salutaria dogmata ac monita omnes ex animo semper amplectamur, eisque mores et omnem vitam nostram serio conformare conemur. Et ne tandem nobis ad cumu-

lum damnationis cedat, viam veritatis seu voluntatem tuam per tot interpretes ac praecones tuos cognovisse, et non fecisse: da nobis gratiam et vires, ut, quae facienda toties cognoscimus, efficaciter facere valeamus. Amen.

AD EVANGELIUM.

Domine Jesu Christe, qui a Deo venisti Magister, et viam Dei nos in veritate docuisti, olim quidem visus in terris et cum hominibus conversatus, hodie etiam per Evangelistarum scripta et praecones verbi tui docere non cessans: da nobis intellectum capacem salutaris doctrinae tuae; accende et affectum zelo sapientiae coelestis, et doce nos facere voluntatem tuam: ut fidem, quae ex auditu Evangelii nascitur et quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Solius enim gratiae tuae opus est, ut sciamus voluntatem tuam et faciamus: quia ex nobis servi inutiles sumus, ex te autem est omnis sufficientia nostra. Amen.

AD SYMBOLUM.

Credo in Deum vivum et verum, trinum et unum, Creatorem, Redemtorem et Sanctificatorem meum. Credo Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. Credo, Dei Filium humanam naturam assumsisse, et nos in cruce morte acerbissima redemisse. Credo Deum remuneratorem bonorum et vindicem malorum, qui reddet unicuique secundum opera ejus: bonis aeterna praemia, malis vero aeterna supplicia.

Credo, animam meam esse immortalem, meque felicitatem aeternam sine Dei gratia consequi non posse. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli praedicarunt, quam sancta romana tenet et profitetur Ecclesia: in quam fidem ex gratia vocatus, natus et baptizatus sum. Huic me hodie fidei obstringo, et fateor, me ab ea ne unguem latum discedere velle, usque dum in patriam, ubi nulla amplius fides, sed clara erit visio, me voces. Quodsi autem ex tentatione diabolica aut ex ignorantia mea aliquid in hujus fidei praejudicium dixero vel cogitavero, id nunc revoco, et quasi non dictum aut non cogitatum habere volo: nunquam enim tali dicto aut cogitationi sciens et volens assensum praebebo, adjuvante me, omnipotens Deus, tua gratia. Amen.

AD OFFERTORIUM.

Piissime Pater, in unione illius excellentissimae charitatis, qua Unigenitus tuus omnem influxum divinitatis, qui in ejus humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens refudit in abyssum originis suae, offero tibi omnia et singula bona, quae ex ineffabili benignitate tua mihi unquam contulisti, eaque in summum gratitudinis affectum una cum meritis et virtutibus ejusdem Filii tui super altari tuo in sempiternae laudis sacrificium immolo. Maxime vero offero tibi cor meum, sed heu! nimis pravum et improbum, illudque sacro huic Calici immergo ea intentione et deside-

rie, ut omnes illae orationes et benedictiones, quae super hunc Calicem fient, etiam super cor meum pronuncientur, atque per virtutem istius ineffabilis Consecrationis, qua vinum in Filii tui Sanguinem convertetur, idipsum in tui amorem efficaciter convertatur. — Ad haec in unione amoris et gratitudinis illius, qua Filius tuus omnes adversitates suas tibi obtulit, offero tibi super altare tuum, quidquid adversi tam mihi quam ulli hominum e corde tuo paterno ad salutem nostram misisti: rogans, ut id omne una cum hoc Sacrificio in odorem suavitatis suscipias, nobisque ad salutem provenire concedas. Demum in unione resignationis Unigeniti tui offero et resigno me in tuam sanctissimam voluntatem, ex toto corde desiderans, ut per me, in me, et circa me tuum in omnibus laudabilissimum beneplacitum semper perficias: ad quod perficiendum praebeo tibi Regi regum Domino totam substantiam corporis et animae meae, ad serviendum tibi pro gloria tuae colendae Majestatis. Amen.

AD CANONEM.

O Deus ineffabilis! jam incipiunt illa tremenda Mysteria, quae nec Cherubim nec Seraphim nec omnes Virtutes coelorum plene valent comprehendere: cum tibi soli cognitum sit, cum quanta amoris magnitudine te indies pro salute fidelium Deo Patri super altare in hostiam laudis et placationis offeras. Ideoque haec sacrosancta arcana universi An-

gelorum ordines summa demissione venerantur: et quod videant Regem suum et Dominum, qui olim hominem redemturus summo amore descenderat, nunc iterum pro salute ejusdem hominis ineffabili quodam modo super altare descendere, atque sub vilissimis panis et vini speciebus se abdere. O bone Jesu, tam inaestimabiliter tamque excellenter reverendum est opus illud, quod nunc operaberis, quod parvitas mea nequaquam audet ad hoc vel respicere. Unde demergens me jacebo in profundissima valle humilitatis, quam potero investigare, expectans ibidem portionem meam, quia omnibus electis inde salus proveniet. O utinam, piisime Jesu, in hoc opere tuo te adjuvare, efficereque possem, ut haec oblatio sacratissima secundum dignitatem suam plenum sortiretur effectum! certe libentissime quantumcunque difficili labore ad hoc inservire vellem. Rogo ergo te, da Sacerdoti huic, ut tali dignitate te tractet et offerat, quatenus haec oblatio omnibus fidelibus vivis atque defunctis summe prodesse valeat. Amen.

AD ELEVATIONEM s. HOSTIAE.

Ave Corpus Christi natum de Maria Virgine,
Vere passum, immolatum in cruce pro homine!
Esto mihi praegustatum mortis in examine.

O dulcis,
o pie,
o Jesu Fili Mariae! esto mihi Jesus, et salva me.

AD ELEVATIONEM s. CALICIS.

Ave Sanguis Jesu Christi, in hoc sacro Calice, Qui in cruce profluxisti ex aperto latere, Et ab omni abluisti totum mundum crimine.

Ablue,
sanctifica, et
custodi animam meam in vitam aeternam!

POST ELEVATIONEM.

Sanctissime Pater! cum Unigenitus tuus jam vere in altari praesens, semetipsum fecerit sacrificium et victimam pro peccatis nostris; ideo in unione amoris illius, quo ille se ipsum olim in cruce, et modo in altari obtulit, offero tibi sanctissimum ejus Corpus et Sanguinem, humanitatem et divinitatem, virtutes et perfectiones, passionem et mortem: et in unione horum offero tibi omnes virtutes, merita et gratias B. Virginis Mariae, omniumque Sanctorum, nec non et omnia bona opera cunctorum hominum, totumque thesaurum sanctae Ecclesiae. Quibus specialiter addo, quidquid ego meique speciales amici unquam boni pergimus, aut mali pro tua gloria sustinuimus. Et hanc oblationem unacum hoc et totius orbis Sacrificiis offero tibi, o Pater aeterne, per dilectum Filium tuum in virtute Spiritus sancti ad tuam supremam laudem et gloriam, in recognitionem tuae supremae majestatis et dominii, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis ulli unquam creaturae collatis, et in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae. Deinde offero tibi ean-

dem in augmentum gaudii et gloriae humanitatis Domini nostri Jesu Christi, in cultum et venerationem omnium mysteriorum vitae et mortis ejus, et in augmentum gloriae et beatitudinis B. Virginis Mariae omniumque Sanctorum, maxime Patronorum meorum, et quorum hodie memoria colitur. Tertio offero tibi eandem pro me misero peccatore, et pro omnibus meis spiritualibus et carnalibus amicis (maxime pro N. N.), et pro omnibus Christianis vivis atque defunctis (maxime pro N. N.), rogans, ut illam suscipere digneris in condignam gratiarum actionem pro omnibus bonis in corpore et anima nobis impensis, ad impetrandam omnem gratiam nobis necessariam, ad avertendum omne malum corporale et spirituale quod saluti nostrae officeret, et demum in perfectissimam remissionem et satisfactionem omnium peccatorum et negligentiarum nostrarum: pro quibus offero tibi omne beneplacitum, quod tibi exhibuit, omnemque satisfactionem, quam tibi pro debitis nostris persolvit Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Per ipsum et cum ipso et in ipso sit tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

AD ORATIONEM DOMINICAM.

Pater noster, qui in coelis es, et in altis habitas, cujus coelum sedes est, terra autem scabellum pedum tuorum: da, ut nomen sanctum tuum invocetur super nos, et a cunctis,

qui tuae sunt participes imaginis, digne colatur ac sanctificetur. Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, nobis contingat et ad nos perveniat, quo ipsius gaudiis perpetuo consortes efficiamur. Fac Domine, ut tua divina voluntas, quae nostram sanctificationem et salutem requirit, jugiter a nobis fiat, ut, sicuti sancti Angeli in coelis suam voluntatem voluntati tuae divinae uniformem faciunt, ita et nos tuis mandatis obtemperantes, salutem nostram sedulo operemur. Panem quoque nostrum, et quae quotidiano victui sunt necessaria, hodie nobis et quamdiu hac fruimur aura tribue, ut cum gratiarum actione bonis his temporalibus uti valeamus. Debita nostra, quibus verbo vel opere in te Deum Patrem nostrum, in proximos nostros, vel etiam in nos ipsos peccando obruti et gravati sumus, pro tua ineffabili misericordia clementer dimitte; cor quoque nostrum instiga et eo impelle, ut, quaecunque in nos peccavit frater noster, libenter illi et ex animo dimittamus. Nulla nos tentatio diaboli, mundi, vel carnis propriae superet; sed fac cum tentatione proventum, ut possimus sustinere: et ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris nos clementissime libera. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

COMMUNIO SPIRITUALIS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, firmissima fide credo et profiteor, te hic corporaliter et substantialiter praesentem in altari,

hostiam veram et vivam immolari, qui pro me natus, passus, et in cruce immolatus ac mortuus fuisti. Te ergo Deum meum et Creatorem ac Redemtorem meum supplex adoro et veneror, ac divinae Majestati tuae corde humili et contrito me prosterno. Et per tuam misericordiam ac merita infinita spero remissionem omnium peccatorum, de quibus sincerrime doleo, propter te Deum meum, summum bonum offensum, quod amo super omnia. O Deus animae meae! gaudeo de ineffabili gloria et perfectione tua: utinam te una mecum omnes creaturae, ut par est, agnoscant, ament, glorificent! Id certe ego ex nunc desidero, et amore tui me ac mea omnia tibi humillime offero propter infinitam bonitatem et beneficia tua, pro quibus te laudo et benedico, nec aliud quidquam ulterius a te peto et rogo, quam ut tecum unus spiritus efficiar; et quia sacramentali Communione tibi nunc uniri non possum, transforma me nihilominus totum in te, ut vivam ego jam non ego, vivas vero tu in me, et ego in te, et maneas mecum, nec a te unquam separari me permittas: Qui vivis.

POSTCOMMUNIO.

Ecce, Pater coelestis! ad altare tuum misit tibi sancta mater Ecclesia Hostiam istam superdignissimam, quam tu olim misisti immolandam pro nobis. Illam ergo suscipere digneris in amore illo superexcellente, quo Filium tuum de regione nostra ad regnum tuum rever-

tentem, tibique Deo Patri omnem fructum humanitatis suae gloriosaque vulnera carnis suae praesentantem suscepisti. Non recedant, piissime Pater, ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis. Igitur virtute hujus oblationis incruentae miserere mei, et omnium peccatorum, cunctorumque fidelium vivorum ac defunctorum: da illis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Amen.

ORATIO POST MISSAM.

Domine Jesu Christe, qui ascendens in coelum omnium animas vocasti ad coelestia, et nobis maximam spem illa consequendi dedisti: benedic, quaeso, animabus nostris, ut non ad captandam vitae hujus vanissimam jucunditatem, sed ad regni perennis beatitudinem consectandam eamus. Corpore revertamur ad nostra; mente vero tibi uni omnium Conditori maneamus consociati, ac nunquam a te divelli nos aut distrahi patiamur. Denique praesta, ut cum vivis et defunctis extremo judicii die in illa bonorum multitudine laeti sub aspectum tuum venire possimus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

PRECES
AD
CERTAS OCCUPATIONES ET HORAS.

ANTE MEDITATIONEM.

Domine Deus, Lux sapientissima, Bonitas ineffabilis! adesto propitius meditationi meae, cui nunc incumbere intendo ad majorem gloriam et honorem nominis tui, ut placeam tibi et consulam animae meae. Ne despicias me, sed da mihi abundantissimam gratiam tuam, ut coram te adstare possim hac hora, quemadmodum tibi placet. Offero tibi et consecro animam meam, ut eam perficias et extollas ad te. Offero memoriam, ut eam sanctis cogitationibus imbuas; intellectum, ut luce tua illustratus considerare possit mirabilia tua; voluntatem, ut amore tuo inflammata affectus tibi gratos eliciat; omnes cogitationes, verba et opera, ut in his quae tibi sunt placita semper occupentur. Respuo omnes curiositates et distractiones, tibique soli et mihi attendere propono, ac si tu et ego soli essemus in hoc mundo. Lubens patiar omnes desolationes et ariditates, quoniam indignus sum omni consolatione et dulcedine. Hanc autem meditationem offero tibi in unione meditationum et orationum Domini mei Jesu Christi, ut ipse suppleat defectus meos, et bene orandi gratiam tribuat: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

POST MEDITATIONEM.

Da mihi dulcissime Jesu, ut, quod me docuisti ad salutem et solatium animae meae, pro amore tuo promte exequar, cum manifeste cognoverim voluntatem tuam. Tu scis, qui nosti omnia, ardentissimum desiderium meum, et quod abominer imperfectiones meas. Sed nisi miseratio tua magna sit super me, peribo utique in infirmitate mea. Esto refugium meum, Deus meus, fiducia mea, et da mihi spiritum bonum, ut omnia opera mea perfecte faciam, sicut proposui. Ne despicias servum tuum clamantem ad te, et te sequi desiderantem. Ecce enim de manu tua cruces et adversitates libenter accepto, ut tibi et Sanctis tuis similis fiam, ut pro peccatis meis satisfaciam, ut te perfecte amem ex tota anima mea, o Bonitas infinita! Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum, ut nemo mihi deinceps molestus sit: ut agnoscant omnes qui me viderint, quoniam servus tuus ego sum, tibi soli vivere et mori cupiens, et omnes te glorificent cum Patre et Spiritu sancto laudabilem et gloriosum in saecula saeculorum. Amen.

ANTE LECTIONEM s. BIBLIORUM.

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ecce puer ego sum, et ignorans egressum et introitum meum. Sonet ergo vox tua in auribus meis: aperi mihi cor intendere his, quae ad nostram

doctrinam scripta sunt. Ciba me pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris pota me, ut non derelinquam fontem aquae vivae, fodiamque mihi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Sint castae deliciae meae scripturae tuae, nec faller in eis, nec fallam ex eis. Sint in lege tua voluntas et meditatio mea die ac nocte; et ero tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Amen.

POST LECTIONEM s. BIBLIORUM.

Deus, qui dedisti mihi cum gaudio suscipere verbum tuum: da virtutem retinendi illud in corde bono et optimo, et fructum afferendi in patientia; ut non auditor obliviosus factus, sed factor operis, obtineam benedictionem servi boni et fidelis, qui cognovit voluntatem Domini sui, et praeparavit et fecit secundum voluntatem ejus. Amen.

ANTE LECTIONEM s. EVANGELIORUM.

Jesu lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: scio, quia a Deo magister venisti, et viam Dei in veritate doces. Verba, quae locutus es nobis, spiritus et vita sunt. Sed quis est dignus, aperire librum et solvere signacula ejus? Nonne tu, qui occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo? Da mihi ergo nosse mysterium regni Dei, et ne abscondas a me mandata tua. Sermo tuus lucerna sit pedibus meis et lumen

semitis meis, ut perfectus sim homo Dei et ad omne bonum instructus. Amen.

POST LECTIONEM s. EVANGELIORUM.

Haec verba fidelissima sunt et vera.

Salvator noster, cujus apparuit benignitas et humanitas, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo: concede, ut qui te similem nobis foris agnovimus, per te intus reformari mereamur. Amen.

ANTE OFFICIUM.

Aperi, Domine Jesu, os meum ad benedicendum sanctum Nomen tuum: cupio enim tibi attente et fideliter psallere, teque pure laudare, in unione illius perfectissimae attentionis, qua tu Patrem rogasti et laudasti in terris, et praesertim qua cum ardore cordis tui et in sudore sanguineo vultus tui orabas ad montem Oliveti. Adjuva me gratia tua, sine qua nihil possum; et vis immensae charitatis tuae suppleat omnem defectum meum, ut placeat tibi obsequium servitutis meae, quod offero ad gloriam Nominis tui, et meam proximique salutem. Amen.

POST OFFICIUM.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, o Pater aeterne! Defectus et errores ejusdem ignoscat, quaeso, clementia tua, et suscipe eam in unione omnium orationum dilecti Filii tui Jesu Christi, et Electorum tuo-

rum in coelo et in terra; ex omni affectu triumphantis et militantis Ecclesiae: ad gloriam tuam, et laudem B. Virginis et Sanctorum omnium, eorum praecipue, quos hodie vel ex decreto Ecclesiae vel tanquam Patronos sponte mea colendos suscepi; ad memoriam passionis Jesu Christi Salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis; ad salutem omnium, qui se mihi commendaverunt; in satisfactionem pro peccatis meis; et pro gratia tua impetranda, et hac virtute N. exercenda. Et concede, ut benedicam te in omni tempore; et sicut laus tua semper est in ore meo, sic etiam corde et opere te praedicem, ut sobrietate, modestia, zelo, devotione, puritate, obedientia, mansuetudine et patientia tibi placeam; ut omnes te ament et glorificent, qui es benedictus in saecula. Amen.

ANTE STUDIUM.

Deus, scientiarum Domine, sapientiae dux et sapientium emendator, qui doces hominem scientiam, et linguas infantium facis disertas; qui non tantum scientiam repellentes repellis, ne Sacerdotio fungantur tibi, sed jubes ut labia Sacerdotis custodiant scientiam, et legem requirant ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est: mitte sapientiam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Da mihi in-

tellectum, ut mihi attendens et doctrinae, devitem profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, fiamque operarius inconfusibilis, recte tractans verbum veritatis. Da mihi scientiam Sanctorum, scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, et idoneum fac me ministrum novi testamenti ad dandam scientiam salutis plebi tuae, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Amen.

POST STUDIUM.

Ne sinas me, Domine, inflari scientia, quae destruetur; sed da charitatem aedificantem, quae nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis, nec judicem me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Amen.

ANTE QUAMVIS ACTIONEM.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, et sine quo nihil possumus! hoc opus, quod adgredior, refero ad gloriam tuam et Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Amen.

POST QUAMVIS ACTIONEM.

Suscipe, benignissime Pater, intervenientibus meritis unigeniti Filii tui Jesu Christi et precibus B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum, officium servitutis meae: et si quid laude dignum egi, propitius respice; et quod negligenter actum est, clementer ignosce. Amen.

AD SIGNUM SALUTATIONIS ANGELICAE MATUTINUM, MERIDIANUM ET VESPERTINUM.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ave Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Vespere ad alterum pulsum additur Psalmus De profundis *cum Versiculis et Oratione* Fidelium, *ut infra post Orationem vespertinam.*

FERIA QUINTA
AD
SIGNUM IN MEMORIAM AGONIAE CHRISTI.

Jesus positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Pater noster.

Apparuit autem illi Angelus de coelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Pater noster.

Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Pater noster.

Antiph. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.
℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro redemtione mundi miserias et angustias, opprobria et convitia, poenas et afflictiones, passionem et mortem patienter pro nobis miseris peccatoribus redimendis ferre voluisti: te supplices exoramus, ut omnes cruciatus, vitam et mortem tuam inter judicium tuum et animas nostras nunc et in hora mortis nostrae interponere, et largiri digneris vivis misericordiam et gratiam, defunctis requiem et veniam, et nobis peccatoribus vitam et laetitiam sempiternam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

FERIA SEXTA

AD

SIGNUM IN MEMORIAM MORTIS CHRISTI.

A sexta hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. Pater noster.

Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Pater noster.

Et iterum clamans voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum. Pater noster.

Antiph. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam: pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

BENEDICTIO MENSAE.

ANTE PRANDIUM.

S. Benedicite. ℟. Benedicite.

S. Oculi omnium. ℟. In te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

Benedic, Domine, nos, et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

L. Jube domne benedicere.

Bno. Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

POST PRANDIUM.

L. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

S. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserere mei, *vel Psalmus* 116:

Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.
℟. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore.
℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea.
℟. Audiant mansueti et laetentur.

℣. Magnificate Dominum mecum.
℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Pater noster. *Secreto.*

Dominus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

* * *

ANTE COENAM.

℣. Benedicite. ℟. Benedicite.

℣. Edent pauperes. ℟. Et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

Benedic, Domine, nos, et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

L. Jube domine benedicere.

Bno. Ad coenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

POST COENAM.

L. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus. ℟. Escam dedit timentibus se.

℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat.

Benedictus Deus in donis suis, et Sanctus in omnibus operibus suis: qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Psalmus Laudate Dominum omnes Gentes, *et reliqua ut supra post prandium. Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in coena.*

* * *

Praedictus modus benedicendi mensam et agendi gratias servatur omni tempore, praeterquam diebus infra scriptis, quibus Versiculi initiales tantum variantur, et Psalmus (si libet) variari potest.

IN NATIVITATE DOMINI
USQUE AD COENAM VIGILIAE EPIPH. EXCL.

Ante prandium et coenam: ℣. Verbum caro factum est, alleluja. ℟. Et habitavit in nobis, alleluja.

In fine: ℣. Notum fecit Dominus, alleluja. ℟. Salutare suum, alleluja. (*Ps.* 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.)

IN EPIPHANIA
ET PER TOTAM OCTAVAM.

Ante prandium et coenam: ℣. Reges Tharsis et insulae munera offerent, alleluja. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent, alleluja.

In fine: ℣. Omnes de Saba venient, alleluja. ℟. Aurum et thus deferentes, alleluja. (*Ps.* 71. Deus judicium tuum regi da.)

IN COENA DOMINI.

Dicitur absolute: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. *Deinde* Pater noster *totum secreto.*

In fine: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. *Postea Ps.* 50. Miserere mei, *sine* Gloria Patri, *et deinde* Pater noster *secreto, et absolute Oratio:*

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum.

Et nil amplius dicitur.

IN PARASCEVE.

Omnia ut in coena Domini; sed ad ℣. Christus factus est *etc. dicitur:* ℟. Mortem autem Crucis.

SABBATO SANCTO.

Dicitur iterum: Benedicite; *dein* ℣. Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati, alleluja. ℟. Venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum, alleluja.

In fine repetitur ℣. Vespere autem *etc.* (*Ps.* Laudate Dominum omnes Gentes.)

IN DIE PASCHAE
USQUE AD COENAM SEQUENTIS SABBATI.

Ante prandium et coenam: ℣. Haec dies, quam fecit Dominus, alleluja. ℟. Exultemus et laetemur in ea, alleluja.

In fine repetitur: ℣. Haec dies *etc.* (*Ps.* 117. Confitemini Domino.)

IN ASCENSIONE DOMINI
USQUE AD VIGILIAM PENTEC. EXCL.

Ante prandium et coenam: ℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluja. ℟. Et Dominus in voce tubae, alleluja.

In fine: ℣. Ascendens Christus in altum, alleluja. ℟. Captivam duxit captivitatem, alleluja. (*Ps.* 56. Omnes gentes plaudite manibus.)

IN FESTO PENTECOSTES
A VIGILIA EJUSDEM INCLUS. USQUE AD COENAM SEQU. SABBATI EXCL.

Ante prandium et coenam: ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja. ℟. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluja.

In fine: ℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluja. ℟. Et coeperunt loqui, alleluja. (*Ps.* 47. Magnus Dominus.)

ORATIONES AD SS. TRINITATEM.

ADORATIO SS. TRINITATIS.

O summa Trinitas, una Virtus, indiscreta Majestas, unus Deus in substantia, trinus in Personis; numerabiliter innumerabilis, mensurabiliter immensurabilis, invisibilis, ineffabilis, admirabilis, incomprehensibilis, inperscrutabilis! Deus magnus sine quantitate, sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, sine situ ubique praesens, sine loco ubique totus, omnia implens sine extensione, sine indigentia omnia creans, sine motu omnia movens: in magnitudine infinitus, summus in bonitate, in virtute omnipotens, in sapientia inaestimabilis, terribilis in consiliis, in verbis verax, in operibus

sanctus, justus in judiciis, in misericordia patientissimus erga delinquentes, piissimus erga poenitentes: cui nec praeterita transeunt, nec futura succedunt: cui nec origo initium dedit, nec tempora dant incrementum: quem nec spatia dilatant, nec voluntas variat, nec moesta perturbant, nec laeta demulcent! Deus sancte sanctorum, Deus spirituum et cunctae carnis, a cujus conspectu tremit coelum et terra, cujus nutui obediunt elementa: vita vivificans me, lumen illuminans me! aperi mihi clamanti portas justitiae, et ingressus in eas confitebor tibi. Te adoro, te laudo, te glorifico labiis et corde, omnique qua valeo virtute te benedico: et procumbens humiliter sub pedibus magnificentiae tuae gratias ago tibi, quia per illustrationem gratiae tuae illuminasti me, et per matris Ecclesiae documenta in fide tua confirmasti me. Et unde hoc mihi, factor coeli et terrae, qui bonorum meorum non eges, unde mihi hoc, quod amasti me? Quid tibi dedi, et retribuisti? Ubi eram, antequam fierem, et ut inciperem bonum? Sed tua gratia factus sum, et innumerabilibus donis tuis ornatus sum. Perfice ergo me, qui fecisti me; perfice usque ad formam plenam imaginis tuae et similitudinis, ad quam formasti me.

Te invoco, o beata Trinitas! ut venias in me, et templum me facias dignum gloriae tuae. Rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum per Patrem et Filium, ut omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctae virtutes plantentur in me. Deus immense, a quo omnia, et per quem omnia

facta sunt! custodi me, opus manuum tuarum, in te sperantem et in tua solummodo misericordia confidentem; custodi me, quaeso, hic et ubique, nunc et semper, ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum. Ad te, beatissima Trinitas! anima mea suspirat, quoniam a te infeliciter exulat. Discedens a te, quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. Verumtamen in te speravi, Domine, quoniam adhuc confitebor tibi, cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit, et successerit illa, quam spero, mira serenitas, plena suavitas, aeterna securitas.

Aeterne Pater, ingenite, innascibilis, principium sine principio, auctor bonorum, fons deitatis, ac totius entitatis origo! Deitas tua me totum repleat, ejusque gloriae participem faciat, quam Filius tuus mihi promeruit: sanctifica me in veritate, et tui praesentia imple memoriam meam, ut cum timore et tremore semper stem in conspectu tuo, nec unquam mens mea a te avertatur. Fili unigenite, non posterior nec minor Patre, eique omnino coaequalis et consubstantialis, Deus de Deo, lumen de lumine, candor lucis aeternae, Verbum incarnatum, virtus omnipotens, sapientia, quae ex ore Altissimi prodiisti, imago Patris, splendor gloriae et figura substantiae ejus! illumina intellectum meum, robora infirmitatem meam, ut te cognoscam et diligam, et tanquam

unicum praesidium meum omnibus praeferam. Sanctissime Spiritus, a Patre et a Filio procedens, utriusque amor et arctissimum vinculum, charitas essentialis et totius charitatis principium, ignis consumens, flamma vitalis, donum superans omne donum, a quo omnia bona in nos descendunt! inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore et constanti charitate, ut te solum quaeram, et universa despiciam; adstringe me tibi et Patri ac Filio, ut nec intellectu, nec affectu a vobis divellar. Sancta et adoranda Trinitas, Deus meus et omne bonum meum! abrenuntio propter te omnibus mundi pompis et honoribus; detestor omnem carnis et sensuum voluptatem; anathema divitiis et vanitatibus saeculi. Gloria mea haec sit, pro te contemni; mea voluptas, tibi adhaerere; meae divitiae, tibi servire in saecula saeculorum. Amen.

PRECATIO AD DEUM PATREM.

Domine Deus ineffabilis et incircumscriptae naturae, cui nomen est a saeculo, ut Pater omnium credentium dicaris, non modo quod cuncta de nihilo esse, et in eam qua sunt pulchritudinem cpnstituisti, nosque prae caeteris creaturis ad imaginem et similitudinem tuam condidisti; verum quod paterno tuo affectu non quidem ut caetera creata veluti mancipia, sed uti filios tuos dilectissimos nos foves, regis ac moderaris. Sed quis unquam sanae mentis depravatam suam naturam, qua merito filii nomen amisisset, considerans, Patris te nomine

auderet apellare, nisi a Filio tuo unigenito tibique consubstantiali et coaeterno jussus et admonitus? qui nos ad paternae nuncupationis fiduciam erexit, et eam appellationis dignitatem, quam ipse solus natura tenebat, voluit ut per suum favorem adoptione nobis esset communis: cujus divina institutione formati et Spiritus sancti illuminatione edocti audemus dicere, Pater noster qui es in coelis! et clamamus quotidie, Abba, Pater! In ejus igitur nomine, uti nos orare docuit, ad te, o Pater omnipotens, aeterne Deus! supplex confugio; et ne vacuus in conspectu tuae divinae majestatis compaream, merita omnia, quae idem unigenitus tuus Filius, Dominus et Salvator noster unicus Jesus Christus homo factus, sua morte ac passione in hoc mundo operatus est, tibi tanquam incensum odoriferum offero. Respice igitur, o Pater coelestis, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo; respice, obsecro, in faciem Christi tui, qui tibi pro mea totiusque mundi salute factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce; memineris igitur, Domine, qualia et quanta ipse pro peccatorum nostrorum satisfactione sit perpessus. Utinam Domine appendas in statera peccata nostra, quibus iram tuam meruimus, et calamitatem, quam passus est pro nobis innocens Filius tuus: certe haec gravior apparebit et magis digna, ut propter ipsam misericordiam tuam super nos effundas, quam ut contineas in ira miserationes tuas infinitas. Intuere, quaeso, piissime Pater, Filium tuum dilectissimum

propter nos homines et propter nostram salutem in cruce toto corpore extensum. Cerne caput corona spinea gravissime coronatum; et dimitte clementissime, quidquid visu, verbo, gustu, odoratu et auditu a nobis est peccatum. Vide manus innocuas clavibus transfixas roseoque manantes sanguine; et ignosce placatus, quidquid mali patrarunt manus nostrae. Considera latus crudeli cuspide laesum, aqua et sanguine stillans; ac corda nostra ob omni nefando crimine purga. Aspice pedes sanctissimos diro confixos clavi; et prohibe pedes nostros a lapsu, perfice gressus nostros in semitis tuis, ut non moveantur vestigia nostra. Desperare quidem possem propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas, quas perpetravi, et adhuc indesinenter ago corde, verbo et opere atque omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest, nisi dilectissimus ille Filius tuus, subditus tibi usque ad mortem crucis, chirographum peccatorum nostrorum tulisset ac cruci illud affixisset, et debitum, quod reddere nobis erat impossibile, ipse solvisset. Respice ergo, clementissime Pater, in eum qui passus est, et reminiscere benignus, pro quo ipse sit passus; et si meis meritis tua gratia haud sum dignus, ejus quaeso merita, cujus membrum credendo sum effectus, me dignum reddant, ejus passio me ab incendio ignis aeterni liberet, ejus mors a morte perpetua me eripiat, ejusque vita et resurrectio gloriosa vitam mihi sempiternam et in illa die resurrectionem laetissimam cum omnibus electis conferat. Ejus etiam, obsecro, obedientia meam cordis duritiam excuset, ejus

humilitas meam iram et simultatem tollat, ejus abstinentia meum luxum et superfluitatem deleat, ejus bonitas et clementia meam malitiam et impietatem extinquat, ejus perfectio meam imbecillitatem suppleat: is namque est dilectus Filius tuus, in quo tibi bene complacuisti, cui tu Pater omnia in manum dedisti, quem et propter peccata populi tui percussisti, et nunquam non pro reverentia interpellantem exaudis: qui etiam tecum in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

PRECATIO AD DEUM FILIUM.

O dulcissime et misericordissime Domine Jesu Christe, qui ex ore Altissimi ante constitutionem mundi, priusquam formaretur terra et orbis, es progenitus, Deus de Deo, Lumen de Lumine, et in fine saeculorum, quando venit plenitudo temporis, ex Mariae sanctissimae Virginis utero per mysterium et modum mirabilem verus homo es editus: te invoco, ad te clamo clamore maximo in toto corde meo, ut, qui omnium misereris, ne patiaris me a tua misericordia fieri alienum. Turbari quidem possem et quasi desperare, considerans multitudinem infinitam peccatorum meorum, si nescirem, misericordias tuas delicto meo multo esse majores, qui et solus Salvatoris nomen obtines, et in hunc mundum venisti, ut peccatores salvos faceres, quique verus es mediator apud coelestem Patrem, pro nobis sedulo interpellans. Quis vero unquam, o bone Jesu, de tua misericordia diffidat, qui,

cum inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo, et Deo Patri nos reconciliasti? Sub tuae igitur misericordiae umbra protectus, ad thronum gloriae tuae veniam postulans accurro, clamans ac pulsans, donec mei miserearis. Si enim ad veniam nos vocasti non te quaerentes: quanto magis veniam impetrabimus postulantes? Ne memineris, dulcissime Domine Jesu, justitiae tuae adversus peccatorem tuum: sed potius esto memor benignitatis tuae adversus creaturam tuam. Ne recorderis irae tuae adversus reum, sed magis memor esto miserationis tuae erga miserum. Obliviscere, quaeso, superbum provocantem, et respice miserum invocantem. Ergo, o bone Jesu! per temet ipsum exurge in adjutorium mihi, et dic animae meae: Salus tua ego sum! Multum Domine de tua bonitate praesumo; quoniam tu ipse doces petere, quaerere et pulsare, et ideo tuis obtemperans monitis peto, quaero et pulso. Quare, o pie Domine, qui jubes petere, fac accipere; qui jubes quaerere, da et invenire; qui doces pulsare, aperi pulsanti. Confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum, et omnes sensus, cogitationes et actus meos dirigere et gubernare digneris in beneplacito tuo, ut de caetero tibi vivam, tibi serviam, tibique me totum tradam. Scio equidem Domine, quia ex hoc, quod me fecisti, debeo tibi me ipsum, et quia me redemisti, plus quam meipsum tibi deberem, si modo haberem: verum nec plus habeo, nec quod habeo tibi sine te dare possum. Per te ipsum ergo te deprecor, Domine Jesu Christe,

ne derelinquas me; fecisti namque me, cum non essem; redemisti me, cum periissem; mortuus fueram, ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti; ad servum Rex venisti; ut servum redimeres, te ipsum tradidisti; ut ego viverem, tu ipse mortem subiisti, mortem superasti. In peccatis venumdatus eram; venisti pro me, ut me redimeres: et tantum dilexisti me, ut etiam sanguinem proprium dares in pretium pro me. Dilexisti Domine me plus quam te, quia mori voluisti pro me. Tali pacto, tam charo pretio reduxisti me de exilio, redemisti de servitio, retraxisti de supplicio. Vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, ut memoriale tuum semper esset apud me, nec unquam recederet a corde meo. Unxisti me oleo, quo tu unctus fuisti, ut a Christo Christianus sim et dicar. In manibus tuis descripsisti me, ut mei memoria sit semper apud te; utinam saltem tui memoria jugiter apud me maneat! Excita igitur Domine in me mentem, quae te requirat, te desideret, te prae omnibus amet, te timeat, tuamque voluntatem exequatur. Accipe me totum, et trahe me ad te, ut tuus sim imitatione et dilectione, sicut tuus sum creatione et redemtione. Emenda et in melius converte vitam meam; tolle a me, quod mihi nocet et tibi displicet, et da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse, quo te Deum, Dominum et Salvatorum meum in saecula saeculorum videre, laudare et praedicare valeam, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, ex hoc, nunc, et usque in sempiternum. Amen.

PRECATIO
AD DEUM SPIRITUM SANCTUM.

Sancte Spiritus Paraclite, qui in die Pentecostes super Apostolos descendisti, charitate, gratia et sapientia eorum implens pectora: oro te per illam ineffabilem misericordiam et liberalitatem, ut digneris sinum animae meae implere tua gratia, ineffabilique amoris tui dulcedine interiora mea perfundere.

Veni, sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium. Veni medice languentium, veni purgator criminum, veni fortitudo fragilium, veni peccantium remedium. Veni doctor humilium, veni destructor superborum, veni omnium virtutum singulare decus, morientium unica salus. Veni Deus meus, et adorna tibi thalamum, in quo digne te cum omnibus divitiis et misericordiis tuis suscipiam. Inebria me dono sapientiae, illumina me dono intellectus, rege me dono consilii, confirma me dono fortitudinis, instrue me dono scientiae, vulnera me dono pietatis, et transfige cor meum dono sancti tui timoris.

O dulcissime amator mundorum cordium! ure et inflamma omnia mea viscera igne amoris tui suavissimo: ut ignita in te rapiantur et in te ferantur, qui es centrum et omnium bonorum meorum finis ultimus. O dulcissime sanctarum animarum amator! cum non ignores, me nihil ex me, neque pro me posse: extende piam manum tuam super me, et fac, ut exeam a me et perveniam ad te. Mortifica, extinque et dissolve in me, quidquid tibi

displicet, ut in omnibus me tuae voluntati facias conformem; ut vita mea in posterum perfectum sit coram te sacrificium, seu potius holocaustum, quod tui amoris igne totum comburatur.

O quis mihi tribuet, ut ad summum illud bonum tandem perveniam? Respice Domine, respice et vide, quomodo haec paupercula creatura ad te nocte ac die suspirat, anima mea ad te sitit Deum suum. Quando veniam et apparebo ante faciem gratiae tuae? quando intrabo in locum admirabilem tabernaculi tui, ut perveniam ad domum Dei mei? quando praesentia tuae gloriae satiabor? quando per te liberabor ab omni tentatione, et mortalitatis hujus fragilitatem superabo? O fons aeterni splendoris! reduc me ad abyssum aeterni boni, a quo creatus sum: ut ibi cognoscam te, sicut cognitus sum, te diligam, sicut a te dilectus sum, te videam teque fruar in societate omnium electorum, quemadmodum et tu me vidisti ab aeterno. Amen.

HYMNUS DE S. SPIRITU.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Antiph. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

HYMNUS SS. AMBROSII ET AUGUSTINI DE SS. TRINITATE.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi Coeli et universae Potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:
Sanctus,
Sanctus,
Sanctus Dominus Deus Sabaoth!
Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,
Patrem immensae majestatis,
Venerandum tuum verum et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae Christe,
Tu Patris sempiternus es Filius,
Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis, in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.

Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te,
Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.
Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine, miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.
In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pro gratiarum actione dicitur sequens Oratio:

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

MEDITATIO
IN ORATIONEM DOMINICAM,
EX EPISTOLIS S. PAULI COLLECTA.

Pater noster, qui es in coelis.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis (2. *Cor.* 1, 3.), qui praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum (*Eph.* 1, 5.), solus habens immortalitatem, et lucem habitans inaccessibilem (1. *Tim.* 6, 16.): cum gaudio gratias agimus tibi, qui dignos nos fecisti in partem sortis sanctorum in lumine. (*Col.* 1, 11. 12.) Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. (*Rom.* 8, 15—17.)

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Da, ut imitatores tui simus, sicut filii charissimi, et ut filii lucis ambulemus in omni bonitate et justitia et veritate; probantes quid sit beneplacitum tibi; nec communicemus operibus infructuosis tenebrarum (*Eph.* 5, 1. 8—11.), ne nomen tuum per nos blasphemetur inter Gentes (*Rom.* 2, 24.). Digne Evangelio Christi conversemur (*Philipp.* 1, 27.), ut simus sine querela et simplices filii tui, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, tanquam

luminaria in mundo, verbum vitae continentes, ad gloriam tuam in die Christi (*Philipp.* 2, 15. 16.): ut ambulemus digne Deo per omnia placentes, in omni opere fructuantes et crescentes in scientia Dei. (*Col.* 1, 10.) Da, ut, sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam tuam faciamus. (1. *Cor.* 10, 31.)

2. *Adveniat regnum tuum.*

Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt (1. *Cor.* 15, 50.): hinc flectimus genua nostra ad te Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut des nobis secundum divitias gloriae tuae, virtute corroborari per Spiritum tuum in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris (*Eph.* 3, 14. 16. 17.), ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. (*Rom.* 6, 12.) Tu enim eripuisti nos de potestate tenebrarum, et transtulisti in regnum Filii dilectionis tuae. (*Col.* 1, 13.) Scimus autem, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Dum autem sumus in corpore, peregrinamur a Domino (2. *Cor.* 5, 1. 6.); ideo desiderium habemus, dissolvi et esse cum Christo. (*Philipp.* 1, 23.) Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in

nobis; non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna. (2. *Cor.* 4, 16—18.)

3. *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.*

Tu enim es, Domine, qui operaris in nobis velle et perficere pro bona voluntate tua. (*Philipp.* 2, 13.) Itaque fac ut impleamur agnitione voluntatis tuae, in omni sapientia et intellectu spirituali: ut ambulemus digne, tibi per omnia placentes (*Col.* 1, 9. 10.); haec est enim voluntas tua, sanctificatio nostra. (1. *Thess.* 4, 3.)

Nolimus conformari huic saeculo, sed reformemur in novitate sensus nostri, ut probemus, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. (*Rom.* 12, 2.) Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Tribue ergo nobis Spiritum et operare virtutes in nobis (*Gal.* 3, 5.), ut faciamus voluntatem tuam (*Hebr.* 13, 21.), sicut administratorii spiritus tui in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis. (*Hebr.* 1, 14.)

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Est magnus quaestus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. (1. *Tim.* 6, 6—8.)

Sint ergo mores nostri sine avaritia, contenti praesentibus. Tu enim dixisti: Non te deseram neque derelinquam; ita, ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor. (*Hebr.* 13, 5. 6.) Prope es Domine. Nihil solliciti simus, sed ubique et in omnibus instituti, sciamus satiari et esurire, abundare et penuriam pati. (*Philipp.* 4, 5. 6. 12.) Ante omnia vero exerceamus nos ad pietatem, quae ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae. (1. *Tim.* 4, 7. 8.)

Da nobis non sperare in incerto divitiarum, sed in te Deo vivo (qui praestas nobis omnia abunde ad fruendum), bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare nobis fundamentum bonum in futurum, ut apprehendamus veram vitam. (1. *Tim.* 6, 17—19.)

Potens es autem, o Deus, omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum. Qui autem administras semen seminanti, et panem ad manducandum praestabis. (2. *Cor.* 9, 8. 10.)

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Quoniam non habitat in carne nostra bonum, ut non, quod volumus bonum, hoc faciamus, sed quod nolumus malum, hoc agamus (*Rom.* 7, 18. 19.); et regnante peccato in nostro mortali corpore, obedivimus concupiscentiis ejus. Heu, quam saepe exhibuimus membra nostra

arma iniquitatis peccato (*Rom.* 6, 12. 13.), et divitias bonitatis, patientiae et longanimitatis tuae contemsimus! non curantes, quoniam benignitas tua ad poenitentiam nos adducit: secundum autem duritiam nostram et inpoenitens cor thesaurizavimus nobis iram in die irae et revelationis justi judicii tui, qui reddes unicuique secundum opera ejus. (*Rom.* 2, 4—6.)

Sed ostendens, Pater, divitias gloriae tuae, fac nos vasa misericordiae praeparata in gloriam (*Rom.* 9, 23.); et ubi abundavit dilectum, superabundet et gratia. (*Rom.* 5, 20.)

Ecce remittimus et aliis minas, ut tu Dominus noster in coelis propitius sis iniquitatibus nostris. (*Eph.* 6, 9. *Hebr.* 8, 12.) Tu nos quoque indue, sicut electos tuos, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam (*Col.* 3, 12.): ut simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et tu in Christo donasti nobis (*Eph.* 4, 32.); nulli malum pro malo reddentes, sed, si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; non defendentes nosmet ipsos, sed demus locum irae, tibi relinquentes vindictam. Nec sinamus nos vinci a malo, sed vincamus in bono malum. (*Rom.* 12, 17—21.) Quae pacis sunt, fac, sectemur, et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus. (*Rom.* 14, 19.)

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Tentatio nos non apprehendat, nisi humana (1. *Cor.* 10, 13.): ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus no-

stri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo Jesu. (2. *Cor.* 11, 3.) Fidelis es Deus, non patieris nos tentari supra id quod possumus; sed etiam facies cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. (1. *Cor.* 10, 14.)

7. *Sed libera nos a malo.*

Confirma nos denique et custodi a malo. (2 *Thess.* 3, 3.) Contere satanam sub pedibus nostris velociter (*Rom.* 16, 20.), ut non circumveniamur ab eo: non enim ignoramus cogitationes ejus. Accipiamus armaturam tuam, ut possimus stare adversus insidias Diaboli, et resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare, induti loricam fidei et charitatis et galeam spem salutis. (*Eph.* 6, 11. 12. 1. *Thes.* 5, 8.) Non simus fidentes in nobis, sed in te, Deus. (2. *Cor.* 1, 9.) Ideoque confidimus hoc ipsum, quia, qui coepisti in nobis opus bonum, perficies usque in diem Christi Jesu. (*Philipp.* 1, 6.) Fidelem credimus esse te, qui repromisisti (*Hebr.* 10, 24.): quotquot enim promissiones tuae sunt, sunt Est et Amen! (2. *Cor.* 1, 20.)

ACTUS VARIARUM VIRTUTUM.

1. ACTUS ADORATIONIS.

Agnosco te, o mi Deus, ut supremum Dominum meum, primum principium et ultimum finem, auctorem naturae, gratiae et gloriae; et profundissima cum humilitate me tibi submitto, teque adoro Dominum vitae ac mortis,

vitam quoque meam tibi sponte sacrifico in unione sacrificii Filii tui Domini nostri Jesu Christi in cruce peracti, et adorationis, qua Humanitas ejusdem Domini nostri Jesu Christi, B. Virgo Maria omnesque Sancti te adorarunt in terra, et te modo adorant et in aeternum adorabunt in coelo. Omnis terra adoret te et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, Domine.

2. ACTUS FIDEI.

O mi Deus, suprema et essentialis Veritas! credo te unum in essentia et trinum in Personis esse, Patrem et Filium et Spiritum sanctum; credo, teneo ac profiteor fidem illam, quam Christus docuit, quam praedicarunt Apostoli, quamque sancta Romana Ecclesia docet ac profitetur; et singulos catholicae Fidei articulos paratus sum sanguine meo subsignare, et morte mea confirmare: quippe testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

3. ACTUS SPEI.

Omnipotens et misericors Deus, unica spes et consolatio mea! spero per sanguinem et merita Jesu Christi Domini nostri ab infinita bonitate ac misericordia tua remissionem omnium peccatorum meorum, quibus te summum Bonum tam graviter offendi; spero firmissime, me ab infinita pietate tua obtenturam omnia ad salutem necessaria, gratiam copiosam, et gloriam sempiternam: quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium meum.

4. ACTUS AMORIS.

Amo te, o amabilissime Deus! ex toto corde meo, amo te super omnia propter infinitam bonitatem tuam; et vellem, si possem, amare te illo amore, quo te amant omnes Sancti, B. Virgo Maria et Jesus Christus Filius tuus, illaque charitate, qua te ipsum infinite amas. Et ex sincerissimo tui amore doleo, quod te saepius offenderim. Quidquid unquam perpessus fuero vel patiar, omne illud propter amorem tuum offero gloriae tuae. Tibi totum me in holocaustum consecro, o Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

5. GRATIARUM ACTIO.

Gratias tibi ago infinitas, liberalissime Deus! pro innumeris beneficiis mihi totique mundo, maxime vero Electis tuis, Beatissimae Virgini, ac Ss. Humanitati Christi, a paterna providentia ac liberalitate tua indesinenter collatis. Gratias tibi ago pro mediis ad salutem aptissimis, mihi et singulis hominibus tam clementer concessis, et pro copiosis naturae et gratiae donis, quibus nos cumulare nunquam desinis. Utinam tantis beneficiis tuis nunquam contra te abutamur, sed omnia purissima intentione referamus in te bonorum omnium fontem inexhaustum! In gratiarum actionem offero tibi, o Pater amantissime, me totum et omnia mea, et ex animo gaudeo, haec omnia infinitis titulis tibi jam dudum fuisse debita, quae tibi novo amoris et gratitudinis affectu integerrime consecro. Et quid aliud, nisi me ipsum et omnia mea, re-

tribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?

6. ACTUS POENITENTIAE.

O justissime Deus! ego execrabilis peccator coram infinita majestate tua et bonitate prostratus, corde contrito et humilato, confiteor me reum laesae majestatis tuae infinitae, veniamque meorum criminum supplex rogo. Detestor ex animo amore tui omnia peccata mea, quibus te amabilissimum Deum meum tam saepe offendi; et cum gratia tua propono firmissime, nunquam deinceps offendere te summum Bonum meum. Utinam omnes halitus mei sint gemitus dolentis ac poenitentis cordis mei, ut per hunc dolorem meum in aliquo saltem tibi satisfacere possem! O justissime scelerum vindex et misericordissime Pater! hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas: a judiciis enim tuis timui.

7. ACTUS GLORIFICATIONIS.

Benedico te, laudo te, o Ss. Trinitas, unus Deus! Tibi soli laus, honor et gloria ab omni creatura, nunc et semper. Gloria Patri, qui creavit me; gloria Filio, qui redemit me; gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit me. Gloria Patri, qui me sustentat per suam potentiam; gloria Filio, qui me gubernat per suam sapientiam; gloria Spiritui sancto, qui me sanctificat per suum amorem. Benedicta sit sancta et indivisa Trinitas nunc et semper, et in saecula saeculorum. Benedicite gentes et omnes creaturae Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis.

8. ACTUS CONFORMITATIS.

O mi Deus infinitae sapientiae, potentiae et bonitatis! utinam semper integre exequar sanctissimum beneplacitum tuum, nec unquam contradicam divinis tuis eloquiis! Tu nosti, Domine, quid mihi ad salutem sit magis necessarium et proficuum; tu solus potes et vis me salvare. Cur ergo non desiderem voluntatem tuam in me et per me et a me semper et perfecte adimpleri? O Pater clementissime! quidquid vis, quantum vis, et quando vis, et ego volo; fiat tua in me, de me, et circa me in omnibus sanctissima voluntas in aeternum. Nam concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore: tu tantum dirige gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Amen.

EXERCITIUM PIETATIS
AB ALEXANDRO VII. ET INNOCENTIO IX.
SUMME COMMENDATUM.

Adoro te, o sanctissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, tres Personae, unus et solus Deus!

Dejicio me in abyssum mei nihili, sub conspectu divinae Majestatis tuae.

Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra Scriptura revelasti, et per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni, sive spiritualis sive corporalis, tam in hac quam in altera vita, id totum desidero, spero, et volo solum consequi de manu tua, Deus meus, vita mea, et unica spes mea.

Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, et omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae Majestatis.

Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates ac vires meas, ad servitium et gloriam tuam.

Paratus sum suscipere quascunque adversitates, quas mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo Cordi tuo.

Vellem me totum, quantusquantus sum, impendere et procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent et ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summe de tua aeterna felicitate, et exulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo collata sunt, et in dies incessanter a benignissima tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam bonitatem propter se ipsam ex toto affectu cordis et animae meae; et vellem, si possem, amare eo amore, quo

te amant Angeli et homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinae Majestati tuae, in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae semper Virginis, et omnium Sanctorum, ex nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimo Sanguine Jesu Redemtoris nostri lota et involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, Indulgentiarum omnium per preces et actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus! cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, siquidem tu es qui es; doleo ex toto corde de omnibus meis peccatis, illaque detestor super omnia mala, quia tibi Deo meo, quem super omnia amo, summopere displicent: peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam bonitatem in aeternum.

In tua vulnera me projicio, o Jesu! ibi me absconde et defende, hodie et semper, donec mihi largiaris gratiam, videndi te et amandi in aeternum. Amen.

ORATIO CLEMENTIS XI.

PRAECIPUOS ACTUS RELIGIONIS CONTINENS.

Credo Domine, sed credam firmius; spero Domine, sed sperem securius; amo Domine, sed amem ardentius; doleo Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium; desidero te ut finem ultimum; laudo te ut benefactorem perpetuum; invoco te ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Consecro tibi cogitanda, ut sint a te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo, quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro te, ut intellectum meum illumines, voluntatem inflammes, corpus emendes, animam sanctifices.

Defleam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemtum saeculi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem virtute.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulo sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assidue invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti acquirendae.

Discam a te, quam tenue sit quod terrenum est, quam grande quod divinum, quam breve quod temporaneum, quam durabile quod aeternum.

Da, ut mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Amen.

ORATIO

S. THOMAE AQUINATIS, PRO VARIIS VIRTUTIBUS OBTINENDIS.

Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere. Ad laudem et gloriam Nominis tui ordina statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim et velim: et da exequi, ut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa, ut in illis non extollar, et in istis non

deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et chara mihi sint omnia tua, et tu Deus meus plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumtione, castum sine corruptione, proximum corrigere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta delectatio: et da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

S. P. IGNATII ORATIO.

O Deus! ego amo te,
Nam prior tu amasti me.
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria:
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam ut te capiat.

Protestor nihil velle me,
Nisi quod sciam velle te:
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe;
Quid iis velis, praecipe:
Guberna, sicut scis et vis;
Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te
Et vigil et per somnia:
Haec dando dabis omnia.

SUSPIRIUM S. FRANCISCI XAVERII.

O Deus! ego amo te:
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce:
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem, et haec propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es.

PETITIONES S. AUGUSTINI.

Domine Jesu! noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.
Ut odiam me, et amem te:
Quidquid agam, sit propter te.
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem, nisi te.
Mortificem me, et vivam in te:
Quaecunque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te:
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te:
Dignus sim defendi a te.

Timeam mihi, timeam te:
    Simque de electis a te.
Diffidam mihi, fidam in te:
    Obedire velim propter te.
In nullo inveniar, nisi in te:
    Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te:
    Et in aeternum potiar te. Amen.

HYMNI
DE DOMINICIS ET DE FESTIS MAJORIBUS PER ANNUM.

CUM ORATIONIBUS ECCLESIAE.

DOMINICIS ADVENTUS.

Placare tandem fletibus, O Numen! usque nunc Sion Captiva luget, et suis Defessa dudum vinculis.

Lethale per scelus patris Proles jacebat saucia, Et lege summi judicis Morti secundae debita.

Heu! quis ruinae tam gravis Sarcire damna sufficit? Tanto quis unquam conferat Parem medelam vulneri?

Suo relictus crimini Orbisne totus corruet? Suone tantum funeri Nascetur humanum genus?

Moraris, a prioribus Desiderate gentibus: Ni tu, Redemtor, advenis, Spes tota laesis occubat.

Rorate coeli desuper: Justum pluant nubes Deum: Sinu reclusa fertili Tellus salutem germinet!

Votis faveto supplicum, O trine, qui clemens Deus! Plebique promissam tuae Redemtionem perfice. Amen.

℣. Veni Domine, et noli tardare. ℟. Relaxa facinora plebi tuae. Oremus.

Dom. I. Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam, et veni: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dom. II. Excita Domine corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dom. III. Aurem tuam, quaesumus Domine, precibus nostris accommoda: et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dom. IV. Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre: ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

Votis pater annuit, Justum pluunt sidera: Salvatorem genuit Intacta puerpera: Homo Deus nascitur.

Superum concentibus Panditur mysterium: Nos, mixti pastoribus Cingamus praesepium, In quo Christus sternitur.

Tu lumen de lumine Ante solem funderis: Tu Numen de Numine Ab aeterno gigneris, Patri par progenies.

Tantus es! et superis (Quae te premit charitas!) Sedibus delaberis: Ut surgat infirmitas, Infirmus humi jaces.

Quae nocens debueram, Innocens exequeris; Tu legi, quam spreveram, Legifer subjiceris: Sic doces justitiam.

Coelum cui regia, Stabulum non respuis; Qui donas imperia, Servi formam induis: Sic teris superbiam.

Nobis ultro similem Te praebes in omnibus, Debilibus debilem, Mortalem mortalibus: His trahis nos vinculis.

Cum aegris confunderis, Morbi labem nesciens; Pro peccato pateris, Peccatum non faciens: Hoc uno dissimilis.

Summe Pater, Filium Qui mittis ad hominem, Gratiae principium, Salutis originem: Da Jesum cognoscere.

Cujus igne coelitus Charitas accenditur, Ades, alme Spiritus: Qui pro nobis nascitur, Da Jesum diligere. Amen.

℣. Verbum Caro factum est, alleluja. ℟. Et habitavit in nobis, alleluja. Oremus.

Oratio. Concede, quaesumus omnipotens Deus: ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. infra Oct. Nat. Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo:

ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Felix dies, quam proprio Jesus cruore consecrat: Felix dies, qua gestiit Opus salutis aggredi.

Vix natus ecce lacteum Profundit infans sanguinem: Libamen est hoc funeris, Amoris hoc praeludium.

Ingressus orbem, jam Patris Mandata promtus exequi, Statum praeoccupat diem, Et qua potest, fit victima.

Amore se facit reum, Poenasque solvit innocens, Sub lege factus legifer, A lege nos ut eximat.

Quo Christus ictu laeditur, Lex abrogata concidit; Et subrogatur sanctior, Mansura semper charitas.

Tu Christe, quod non est tuum, Nostro recide pectore: Inscribe nomen, intimis Inscribe nomen cordibus.

Qui natus es de Virgine, Jesu tibi sit gloria, Cum Patre cumque Spiritu In sempiterna saecula. Amen.

℣. Notum fecit Dominus, alleluja. ℟. Salutare suum, alleluja. Oremus.

Oratio. Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam

meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ad Jesum accurrite, Corda vestra subdite Regi novo gentium.

Stella Christum praedicat, Intus fides indicat Redemtorem omnium.

Huc afferte munera Voluntate libera, Munera sed cordium.

Haec erit gratissima Salvatori victima, Mentis sacrificium.

Aurum offert charitas, Et myrrham austeritas, Et thus desiderium.

Auro Rex agnoscitur, Homo myrrha colitur, Thure Deus gentium.

Judaea, gaudentibus Non invide gentibus Retectum mysterium.

Post custodes ovium Se Magi fidelium Jungunt in consortium.

Qui Judaeos advocat Christus, gentes convocat In unum tugurium.

Bethlehem fit hodie Totius ecclesiae Nascentis exordium.

Regnet Christus cordibus, Et victis rebellibus, Proferat imperium. Amen.

℣. Adorabunt eum omnes reges terrae.

℟. Omnes gentes servient ei. Oremus.

Oratio. Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus,

usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DOMINICIS POST EPIPHANIAM DOMINI.

Christus tenebris obsitam Lustrando Judaeam docet; Gens obstinato pectore Christum docentem respuit.

Sese Deum signis probat: Surgunt sepulchris corpora; Erepta muto vox redit, Claudo gradus, caeco dies.

Gens dura, flecti nescia, Aures sacris sermonibus Obturat, et solem fugit, Amore noctis perdita.

Nos lumen ambimus, Patris In quo refulget claritas: Ne mentibus subrepere Tetram sinas caliginem.

Nunquam recedas a piis, Lux sempiterna, cordibus; Te veritate fulgeant, Te charitate ferveant.

Qui natus es de Virgine, Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre, cumque Spiritu In sempiterna saecula. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.
℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute. Oremus.

Dom. I. Vota, quaesumus Domine, supplicantis populi coelesti pietate prosequere: ut et quae agenda sunt, videant; et ad implenda, quae viderint, convalescant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. II. Omnipotens sempiterne Deus, qui coelestia simul et terrena moderaris: supplica-

tiones populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. III. Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuae majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. IV. Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis et corporis, ut ea, quae pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. V. Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi: ut, quae in sola spe gratiae coelestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. VI. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO Ss. NOMINIS JESU.

Jesu, tuo quot Nomine Terris stupenda promicant, Mirentur, et cantu novo Cuncti celebrent ordines.

Lux vera factum gentibus Fugat tenebras lumine; Quos vanus error luserat, Collustrat alma veritas.

Uno docent Apostoli Hoc roborato Nomine: Gentes stupentes audiunt, Fidesque crescit in dies.

Hoc invocato protinus, Velut potenti fulmine, Delubra vana proruunt, Fictumque numen sternitur.

Vix ore, Jesu, promeris, Orci fremunt potentiae: Jubente te daemon furens Mentes relinquit efferas.

Natura subdit se tibi, Surgunt sepulchris corpora, Erupta muto vox redit, Claudo gradus, caeco dies.

Jesu, salus fidelium, Te nostra vox primum sonet, Nomen verendum gentibus Omnes adorent spiritus.

Te deprecamur supplices, Jesu, tuo da Nomine Servare pectus integrum, Et te frui perenniter.

Sit laus Patri, laus Filio; Par sit tibi laus, Spiritus, Favente quo Jesu sacrum Nomen salus nobis erit. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum. Oremus.

Oratio. Deus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in coelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN PRAESENTATIONE DOMINI.

Tellus et sidera, vos obstupescite; Virgo puerpera se piat: pandite Templi vos ostia.

Quas sanxit Legifer, legibus subditur: Coeli Rex pacifer altari sistitur: Fit Deus hostia.

Christo delebiles nunc sacrificuli Cedant, umbratiles nunc Agno vituli: En ipsa veritas.

Ultra non rubeant victimis atria; Thure non oleant Moysis altaria: En ipsa veritas.

Mortis jam praescius vix natus immolat Se Dei Filius, (sic Pater imperat) Cruce praeluditur.

Senis sollicita de vaticinio Maria, tacita doloris gladio Jamjam transfigitur.

Quem concupieras salutem populi, Quem expectaverat, viderunt oculi: Senex, jam morere.

Et tu, vates pia, promissa gentibus, Anna, mysteria Christum sperantibus Gaude jam pandere.

Qui te conplectimur, lumen de lumine, Carne qui pascimur orta de virgine, Seni da commori.

Dum thus offerimus ad aras, hostiam, Christe, dum sistimus, puro tu gratiam Infunde pectori. Amen.

℣. Annuntient in Sion nomen Domini. ℟. Et laudem ejus in Jerusalem. Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus: ut, sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostra carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DOMINICIS SEPTUAGESIMAE, SEXAGESIMAE, ET QUINQUAGESIMAE.

Te laeta, mundi Conditor, Unum manet semper quies: Festiva coelestes choros Semper decent praeconia.

Nos, sanctitate perdita, Poenalis exspectat labor: Hymnosne dulces patriae Moesti canamus exules?

Qui te piis placabilem Spondes futurum fletibus, Lugere da longi, Pater, Delicta causas exilî.

Verum salubrem temperet Spe nixa moerorem fides: Tu mox quieti nos tuae, Festisque reddes cantibus.

Sit summa Patri gloria, Ejusque soli Filio, Sancto simul cum Spiritu, Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Domine, refugium factus es nobis. ℟. A generatione et progenie. Oremus.

Dom. Sept. Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi: ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. Sex. Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, ut contra adversa omnia, Doctoris Gentium protectione, muniamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. Quinqu. Preces nostras, quaesummus Domine, clementer exaudi: atque a peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DOMINICIS QUADRAGESIMAE.

Quod lex adumbravit vetus, Quod ipse sacravit novi Christus minister foederis, Decurrimus jejunium.

Utamur ergo parcius Verbis, cibis et potibus, Somno, jocis; et arctius Perstemus in custodia.

Intenta mens cupidinis Fraenet rebelles impetus; Ne cordis arcem, janua Qua se dat, hostis occupet.

Omnes ad aram cernuo Vultu precemur supplices: Ploremus, atque vindicem Flectamus iram Judicis.

Judex tremende, nos premit Immensa moles criminum; Immensa sed clemens Pater Parcendo vinces crimina.

Nos, testa quanquam fictilis, Opus tuum sumus tamen; Natos perire ne sinas Christi redemtos sanguine.

Quod fecimus sana malum, Auge bonum quod poscimus, Da corde contrito Deus Tuam mereri gratiam.

Praesta beata Trinitas, Concede simplex Unitas, Ut fructuosa sint tuis Jejuniorum munera. Amen.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Oremus.

Dom. I. Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas: praesta familiae tuae, ut, quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. II. Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi: ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. III. Quaesumus omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostram dexteram tuae majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. IV. Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui ex merito nostrae actionis affligimur, tuae gratiae consolatione respiremus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DOMINICA PASSIONIS.

Lugete, pacis Angeli: Mortalis en ultro Deus, Culpae gerens imaginem, Poenam nocentum sustinet.

Amoris o miraculum! O cordis humani stupor! Insons Deus neci datur! Pigebit et sontes pati!

Nos sempiternis crux tua, O Christe, flammis eruit; Hic ure, vindex, hic seca, Parcas in aeternum modo.

Caro reclamat, sed Patris Urget voluntas: nos tua Virtute da fortes sequi, Jesu, quod exemplo doces.

Livore sanatos tuo, Tuoque lotos sanguine, Peccando ne novam sinas Parare nos tibi crucem.

O spes salutis omnium, Crux, vera mundi gloria, Infixa semper haereas Imisque regnes cordibus.

Qui Filium tradit, Patri, Natoque sit laus victimae: Par sit tibi laus, qui sacram Succendis aram, Spiritus. Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. ℟. Attritus est propter scelera nostra.

Oremus.

Oratio. Quaesumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice: ut te largiente regatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DOMINICA PALMARUM.

Gloria, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemtor,
Cui puerile decus promsit hosanna pium.
Israel es tu Rex, Davidis et inclyta proles,
Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis.
Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis
Et mortalis homo, et cuncta creata simul.
Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit:
Cum prece, voto, hymnis adsumus, ecce, tibi.
Hi tibi passuro solvebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus, ecce, melos.
Hi placuere tibi: placeat devotio nostra,
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Gloria, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemtor,
Cui puerile decus promsit hosanna pium.
Amen.

℣. Benedictus, qui venit rex in nomine Domini. ℟. Pax in coelo et gloria in excelsis.

Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti: concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN TRIDUO SACRO.

Jesu Deus et Magister! Lavas pedes ut minister, Damnans arrogantiam. Lava, precor, me sordentem, Et, quae forsan foedat mentem, Elue superbiam.

Jesu Pascha dum fecisti, Tuis cibum te dedisti, O stupenda charitas! Panis vive me conforta, Ne me vincat fors adortà Mundus, caro, satanas.

Jesu sanguinem sudabas, Orans horto, cum te dabas Patris in arbitrium. O si cor des resignatum, Et quod semper sit paratum Duci per imperium.

Jesu lupis tradebaris, Sed ut ovis ducebaris, Mox futurus victima. Omnis expers sim rancoris, Sed affectum fac amoris Cordis gerant intima.

Jesu tractus per furentes, Tuos cernis fugientes: Quis non tecum plangeret? Fac adversis nos constantes, Fac secundis non nutantes: Nil a te nos separet.

Jesu vinctus accusaris, Quin et siles dum culparis, Irae procul motibus. Fac me linguam refraenare, Sensus omnes castigare Pravis ab affectibus.

Jesu Petrus te negavit, Sed flens crimen expiavit Tuae vi clementiae. O si nunquam te negarem, Vel me reum mox purgarem Fletu poenitentiae!

Jesu falso judicaris, Alba veste subsannaris, Judex summae gloriae! Fac me nullum judicare; Solum sciam me damnare, Vitae judex propriae.

Jesu dire flagellatus, Pugnis, sputis es foedatus, Purus omni vitio. O quam dignus sum puniri! Sed da poenis his muniri Mortis a supplicio.

Jesu spinis coronaris, Et illusus adoraris, Regens orbem nutibus. O fac zelo semper vero Affectuque te sincero Dignis colam laudibus.

Jesu praeses te spectandum Foras ducit, sed damnandum Plebs dimittit Barrabam. Absit ducar hoc errore, Ut tam dirae gentis more Quidquam Tibi praeferam.

Jesu crucem dum portabas, Heu qua mole laborabas! O si post te gradiar! Eja crucem fac tollendo, Et constanter te sequendo Fructum crucis adsequar.

Jesu veste denudaris, Sed heu, quantum cruciaris Causa verecundiae! Fac me nunquam spoliari, Qua nos decet perornari, Veste pudicitiae.

Jesu dire te distentum Crucifigunt; o tormentum Vitam praestans homini! Absit mihi gloriari, Nisi lytro salutari Et in cruce Domini.

Jesu trina nomen lingua Tibi ponit gens maligna Laeto fulgens omine. Precor, Jesu Nazarene, Salva nos; nam pendet plene Salus ab hoc nomine.

Jesu Patri pro tuorum Culpa supplex fis tortorum, Sic nos docens vincere. Hostes amem, sed non ficte, Zelo quaeram ne vindictae Mala malis reddere.

Jesu summi fons o Boni, Quam clementer das latroni Poenitenti veniam! Cor contritum mihi dona, Ut hinc migrans tecum bona Paradisi capiam.

Jesu Matrem commendabas, Et Joannem, quem amabas, In solamen mutuum. Fac Amborum mihi cura Semper adsit in pressura Salus et auxilium.

Jesu clamas voce tristi: Ut quid Pater me liquisti! O tormenta fortia! A te nunquam derelinquar, Ne tentatus forte vincar Mortis in angustia.

Jesu siti flagras totus: Sed heu, quales tibi potus Gens propinat impia! Memor potus tam amari, O quam velim refraenari Carnis desideria!

Jesu culpam Protoplasti Morte luens, consummasti Redemtoris munia. Cor amoris vi concepta Ad implenda duc praecepta, Sanctaque consilia.

Jesu vita dum migrabas, Temet Patri commendabas: Heu sol luget obitum. Fac extrema mortis hora Meum tibi sine mora Reddam gaudens spiritum.

Jesu nostros ob reatus, Insons durae morti datus, Reis donas veniam. O per sacrae mortis fructum, Fac, ne sequens carnis ductum Mala morte peream.

Jesu cor dum perforatur, Fons amoris dilatatur, Corda rigans arida. Salvatoris patent

fontes: Quid haurire vetat sontes Aquas in laetitia?

Jesu cruce te pendentem Cernens Mater, heu quo mentem Sensit ense sauciam! Cor da Cruci sic affixum, Ut te Jesum crucifixum Scire solum cupiam.

Jesu tandem sepeliris, Et aromate condiris, Heu quos inter gemitus! In te meam sepeliri Mentem praestes, et condiri Unctione Spiritus. Amen.

Fer. V. ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

Fer. VI. ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. ℟. Mortem autem Crucis.

Sabb. ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. ℟. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Oratio. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

Victimae paschali laudes immolent Christiani!

Agnus redemit oves: Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.

Mors et Vita duello conflixere mirando: dux vitae mortuus, regnat vivus.

Dic nobis, Maria, quid vidisti in via?

Sepulchrum Christi viventis, et gloriam vidi resurgentis;

Angelicos testes, sudarium et vestes.

Surrexit Christus, spes mea, praecedet vos in Galilaeam.

Scimus, Christum surrexisse a mortuis vere: tu nobis, victor Rex, miserere. Amen. Alleluja.

℣. Haec dies quam fecit Dominus. ℟. Exultemus et laetemur in ea. Oremus.

Domin. Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti: vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Fer. II. Deus, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti: populum tuum, quaesumus, coelesti dono prosequere; ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Fer. III. Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper foetu multiplicas: concede famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN DOMINICIS POST PASCHA.

Forti tegente brachio Evasimus rubrum mare, Tandemque durum perfidi Jugum tyranni fregimus.

Nunc ergo laetas vindici Grates rependamus Deo, Agnique mensam candidis Cingamus ornati stolis.

Jam pascha nostrum Christus est; Hic agnus, haec est victima, Cruore cujus illitos Pertransit ultor angelus.

O digna coelo victima, Mors ipsa per quam vincitur, Per quam refractis inferi Praedam relaxant postibus.

Christus sepulchri faucibus Emersus ad lucem redit; Hostem retrudit tartaro, Coelique pandit intima.

Da, Christe, nos tecum mori, Tecum simul da surgere, Terrena da contemnere, Amare da coelestia.

Sit laus Patri, laus Filio, Qui nos, triumphata nece, Ad astra secum dux vocat; Compar tibi laus, Spiritus. Amen.

℣. In resurrectone tua Christe, alleluja.
℟. Coeli et terra laetentur, alleluja. Oremus.

Dom. I. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui Paschalia festa peregimus, haec, te largiente, moribus et vita teneamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. II. Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam: ut, quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. III. Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiae, veritatis tuae lumen ostendis: da cunctis, qui christiana professione

consentur, et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea, quae sunt apta, sectari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. IV. Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis: ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. V. Deus, a quo bona cuncta procedunt: largire supplicibus tuis: ut cogitemus te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Opus peregisti tuum: Te, Christe, victorem necis, Aeterna, quam reliqueras, Coelo reposcit gloria.

Jam nube vectus fulgida Terras jacentes despicis: Educta longo carcere Regem sequuntur agmina.

Mirante turma coelitum Panduntur aeternae fores; Ovansque sublimem Patris Homo-Deus scandis thronum.

Illic patronus, pontifex, Pacis sequester, quem tua Semel profudit charitas, Offerre pergis sanguinem.

Illinc adornas et foves Ecclesiam sponsus tuam: Cunctisque vitam dividis, Infusa ceu mens artubus.

Illinc tot inter praelia Periclitantem sustines, Das militanti vincere, Palmam triumphanti paras.

Quo, Christe, praecedis caput, Huc integrum corpus vocas: Vestigiis tritam tuis Fac membra sectentur viam.

Qui victor in coelum redis, Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre, cumque Spiritu, In sempiterna saecula. Amen.

℣. Dominus in coelo, alleluja. ℟. Paravit sedem suam, alleluja. Oremus.

Oratio. Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui hodierna die Unigenitum tuum Redemtorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. infra Oct. Ascens. Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuae sincero corde servire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

Veni sancte Spiritus, Et emitte coelitus Lucis tuae radium:

Veni pater pauperum, Veni dator munerum, Veni lumen cordium.

Consolator optime, Dulcis hospes animae, Dulce refrigerium.

In labore requies, In aestu temperies, In fletu solatium.

O lux beatissima, Reple cordis intima Tuorum fidelium:

Sine tuo Numine Nihil est in homine, Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, Riga quod est aridum, Sana quod est saucium:

Flecte quod est rigidum, Fove quod est frigidum, Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus In te confidentibus Sacrum septenarium:

Da virtutis meritum, Da salutis exitum, Da perenne gaudium. Amen.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluja. ℟. Et coeperunt loqui, alleluja. Oremus.

Domin. Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Fer. II. Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum: concede plebi tuae piae petitionis effectum; ut, quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Fer. III. Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO Ss. TRINITATIS.

O luce, quae tua lates, Beata semper Trinitas, Te confitemur, credimus, Pioque corde quaerimus.

O sancte sanctorum Pater, O Nate, de Deo Deus, O charitatis vinculum, Jungens utrumque, Spiritus.

Ut se videt totum Pcter, Coaeva Proles nascitur: Amorque, quo se diligunt, Et ipse procedit Deus.

Est totus in Nato Pater, In Patre totus Filius: Natoque plenus ac Patre Inest utrique Spiritus.

Quod Natus est, hoc Spiritus; Hoc est uterque, quod Pater: Tres una summa veritas, Tres una summa charitas.

Da posse, quod jubes, Pater: Da scire, Fili, quod doces: Fac corde toto, Spiritus, Nos velle, quod probas, bonum.

Aeterna Patri gloria, Natoque sit cum Spiritu, Qui vivit et regnat Deus In saeculorum saecula. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula. Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem: quaesumus; ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO s. CORPORIS CHRISTI.

Lauda Sion Salvatorem, Lauda ducem et pastorem In hymnis et canticis!

Quantum potes, tantum aude, Quia major omni laude, Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis Panis vivus et vitalis Hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa coenae Turbae fratrum duodenae Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, Sit jucunda, sit decora Mentis jubilatio!

Dies enim celebratur, In qua sacrae memoratur Coenae institutio.

In hac mensa novi Regis Novum Pascha novae legis Phase vetus terminat:

Prisca subsunt novitati, Umbrae cedunt veritati, Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit, Faciendum hoc expressit In sui memoriam.

Docti sacris institutis, Panem, vinum in salutis Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, Quod in Carnem transit panis, Et vinum in Sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, Animosa firmat fides, Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, Signis tantum et non rebus, Latent res eximiae.

Caro cibus, Sanguis potus: Manet tamen Christus totus Sub utraque specie.

A sumente non concisus, Non confractus, non divisus, Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille, Quantum isti, tantum ille: Nec sumtus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, Sorte tamen inaequali, Vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: Vide, paris sumtionis Quam sit dispar exitus!

Fracto demum Sacramento Ne vacilles, sed memento: Tantum esse sub fragmento, Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura, Signi tantum fit fractura, Qua nec status nec statura Signati minuitur.

Ecce panis Angelorum, Factus cibus viatorum, Vere panis filiorum, Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, Cum Isaac immolatur, Agnus Paschae deputatur, Datur manna patribus.

Bone Pastor, Panis vere, Jesu nostri miserere: Tu nos pasce, nos tuere, Tu nos bona fac videre In terra viventium.

Tu qui cuncta scis et vales, Qui nos pascis hic mortales, Tuos ibi commensales, Cohaeredes et sodales Fac Sanctorum civium. Amen.

℣. Panem de coelo praestitisti eis, alleluja.
℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluja. Oremus.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

DOMINICIS POST PENTECOSTEN.

Hac luce Numen e sinu Orbem volendo protulit: Hinc nata primum tempora Cursu perenni profluunt.

Hac luce victor inferi Surrexit ad vitam Deus: Hinc firma stat Christi fides; Hinc certa vitae spes manet.

Haec ipsa lux lapsum polo Te vidit, alme Spiritus, Cadente flamma, gratiae Mundo ferentem munera.

O sempiterna Trinitas, Hanc vindicas diem tibi: Haec tota sit semper pio Cultu sacrata Numinis.

Hanc nulla labes inquinet: Sit pura mens, purae manus; Lucisque sacrae singula Momenta fervor impleat.

Aeterne tu Verbi Pater, Aeterne Fili par Patri, Et par utrique Spiritus, Tibi, Deus, sit gloria. Amen.

℣. Dirigatur Domine oratio mea. ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oremus.

Dom. I. Deus in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae; ut in exequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. II. Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis,

quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. III. Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam; ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. IV. Da nobis, quaesumus Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione laetetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. V. Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum; ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. VI. Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum; insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et praesta in nobis religionis augmentum: ut, quae sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. VII. Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. VIII. Largire nobis, quaesumus Domine, semper spiritum cogitandi, quae recta sunt, propitius et agendi: ut, qui sine te esse

non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. IX. Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium: et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. X. Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam; ut ad tua promissa currentes, coelestium bonorum facias esse consortes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XI. Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuae et merita supplicum excedis et vota: effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas, quae conscientia metuit, et adjicias, quod oratio non praesumit. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XII. Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: tribue quaesumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XIII. Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum: et, ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XIV. Custodi Domine, quaesumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: et quia sine te labitur humana mortalitas; tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis, et ad salutaria

dirigatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XV. Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat: et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XVI. Tua nos, quaesumus Domine, gratia semper et praeveniat et sequatur: ac bonis operibus jugiter praestet esse intentos. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XVII. Da, quaesumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia: et te solum Deum pura mente sectari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XVIII. Dirigat corda nostra, quaesumus Domine, tuae miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XIX. Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude: ut mente et corpore pariter expediti, quae tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XX. Largire, quaesumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XXI. Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi: ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XXII. Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XXIII. Absolve, quaesumus Domine, tuorum delicta populorum: ut a peccatorum nostrorum nexibus, quae pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dom. XXIV. et ult. Excita, quaesumus Domine, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuae remedia majora percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN CONCEPTIONE ET NATIVITATE B. MARIAE VIRGINIS.

Aurora, quae solem paris, Et ipsa solis filia, Quam splendidum, cum gigneris (*vel* nasceris), Affers diem mortalibus.

Te luce sol vestit sua, Tibique luna sternitur, Aptata sacro vertici Nectunt coronam sidera.

Te mille virtutum chori, Te turma cingit coelitum: Ambit suo te numine, Qui te facit matrem, Deus.

Uti potens exercitus, Tu, Virgo terror hostium; Te sic obumbratam Deo Pavent, tremuntque tartara.

Qui tabe nos infecerat, Serpentis elidis caput; Attritus aeterno jacet, Non jam timendus vulnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum Venisse terris hospitem, Per te, manens nobis adhuc, Nostri sit hospes pectoris.

Qui natus es de Virgine, Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre cumque Spiritu In sempiterna saecula. Amen.

℣. Conceptio (Nativitas) est hodie beatae Mariae Virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Oremus.

Oratio. Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire: ut, quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis (Nativitatis) ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. MARIAE.

Humani generis cessent suspiria! Beata miseris affert hic nuntia Dies mortalibus.

Unius scelere Cuncti cecidimus: Lapsos erigere venit Altissimus De coeli sedibus.

Delectae Virgini, quae Deum pariat, Angelus Domini salutis nuntiat Nostrae mysterium.

O beatissima prae mulieribus, Virgo castissima, Deum visceribus Suscipe Filium.

Virtute Spiritus in sinu Virginis Innocens penitus a labe criminis Caro compingitur.

Per hanc infantibus lactescit teneris Ille, qui mentibus panis a superis In coelis editur.

Quod sine tempore de Patre nascitur, Mortali corpore Verbum induitur, Ut salvet hominem.

Corpus hoc offeret in sacrificium; Servos ut liberet, totum in pretium Effundet sanguinem.

Errabam devius exul a patria, Semitae nescius, ad vera gaudia Per quam regrediar.

In mea Dominus venit exilia, Viaeque terminus ipse fit et via: Tutus hac gradiar.

O Veritas latens sub velo corporis, Sed oculis patens Mundati pectoris, Tu nos illumina.

Et tu pro miseris supplica Numini, Quae, te dum asseris ancillam Domini, Fis mundi Domina. Amen.

℣. Ave Maria, gratia plena. ℟. Dominus tecum. Oremus.

Oratio. Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis; ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO DOLORUM B. V. MARIAE.

Stabat Mater dolorosa, Juxta Crucem lacrymosa, Dum pendebat Filius:

Cujus animam gementem, Contristatam et dolentem Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta Fuit illa benedicta Mater Unigeniti!

Quae moerebat, et dolebat, Pia mater dum videbat Nati poenas incliti.

Quis est homo, qui non fleret, Matrem Christi si videret In tanto supplicio?

Quis non posset contristari, Christi Matrem contemplari Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis Vidit Jesum in tormentis Et flagellis subditum:

Vidit suum dulcem Natum, Moriendo desolatum, Dum emisit spiritum.

Eja Mater, fons amoris, Me sentire vim doloris Fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum, In amando Christum Deum, Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati, Tam dignati pro me pati, Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie fiere, Crucifixo condolere, Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum stare, Et me tibi sociare In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara, Mihi jam non sis amara: Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem, Passionis fac consortem, Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari, Fac me Cruce inebriari, Et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus, Per te, Virgo, sim defensus In die judicii.

Fac me Cruce custodiri, Morte Christi praemuniri, Confoveri gratia;

Quando corpus morietur, Fac ut animae donetur Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Oratio. Deus, in cujus Passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut, qui Transfixionem ejus et Passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter adstantium intercedentibus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN FESTO ASSUMTIONIS B. V. MARIAE.

Parata cum te poscerent, O Virgo, coeli praemia, Purum sacratis artubus Amor resolvit spiritum.

Sed victa partu mors tuo Te labis expertem nequit, Suis nec audet stringere Vitae parentem nexibus.

O qualis inter obvios Regina scandit coelites! Quam pulchra celsae proxima Sedi Tonantis assidet!

Amicta sole foemina, Lunamque subjectam premens, Bissena cui cingunt caput Fulgore miro sidera.

O tu, clientum cui preces, Cui vota cordi, judicem Praebere nobis, quod potes, Patrona, placatum velis.

Sit nostra per te laus Patris, Tuoque grata Filio, et utriusque Flamini, In saeculorum saecula. Amen.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad coelestia regna. Oremus.

Oratio. Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce: ut, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN CETERIS FESTIS B. V. MARIAE.

Ave maris stella, Dei mater alma, Atque semper virgo, Felix coeli porta.

Sumens illud Ave Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis, Profer lumen caecis, Mala nostra pelle, Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus, Tulit esse tuus.

Virgo singularis, Inter omnes mitis, Nos culpis solutos, Mites fac et castos.

Vitam praesta puram, Iter para tutum, Ut videntes Jesum Semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri, Summo Christo decus, Spiritui sancto, Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum. Oremus.

Oratio. Concede nos, famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO s. STEPHANI.

Laudate Stephanum laetis concentibus, Omnes magnanimum sonis concordibus Heroëm dicite.

Invicto pugili dum plaudunt coelites, Primam vos aemuli coronam Martyres Ductori cedite.

Iter sanguineum primus aperuit, Agmen quo Martyrum palmas obtinuit Cruento funere.

Armatis manibus stat turba saeviens: Occurrit ictibus perire gestiens Felici vulnere.

Pro Christi nomine fractus lapidibus Clamat, et sanguine petit ac precibus Salutem hostium.

Ad vocem Martyris cadentis fortiter, Pugnae difficilis fit Christus arbiter, Fit Saulus pretium.

Duro certamine fides non vincitur, Saxorum grandine Martyr dum tunditur, Perstat interritus.

Profuso sanguine dum tellus tingitur, Foecundo semine Heroum nascitur Victor exercitus.

O qui Martyribus praeis ad gloriam, Christi militibus ora victoriam: Manent nos praelia.

Vincantur vitia, adsit pugnantibus Salubris gratia, detur vincentibus Coelestis gloria. Amen.

℣. Lapidaverunt Stephanum, et ipse invocabat Dominum. ℟. Ne statuas illis hoc peccatum. Oremus.

Oratio. Da nobis, quaesumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN FESTO s. JOANNIS EVANGELISTAE.

Tu, quem prae reliquis Christus amaverat, O dulces Hominis deliciae Dei, Curarum socius, funeris et comes, Et testis quoque gloriae!

Fortunate nimis, cui licitum fuit Attrectare manu Verbum, Hominem-Deum, Hunc audire, oculis cernere, mutuo Quin et colloquio frui.

Haec dos quanta fuit, cum tibi credidit Sensus Christus amans pectoris intimos, Quando monte super totus Homo-Deus Sese numine vestiit.

Jesu tu placido dum recubas sinu, Potas plena Deo vivida flumina; Illapsu tacito se propius tuis Numen sensibus inserit.

Ex hoc fonte Deum plenius hauseras: Corpus destituit mens velut ebria; Dic, cum blanda quies lumina clauserat, Quae coelestia videris.

O sacros aditus! o bene mutui Hac ignota tenus gaudia pectoris! Quae non tela jacit divus amor sacris His fornacibus incubans!

Hinc tu semper amans, semper amabilis, Hinc et frontis honos, virgineus pudor, Hinc coeleste jubar, quod superos decet, Toto vertice funditur.

Hinc creber repetis, creber idem sonas; Quidquid faris, amor, sic amor imperat: Vix sese capiens aestuat, et suis Pectus rumpitur ictibus.

Patri maxima laus, maxima Filio, Amborumque sacro maxima Flamini. Haec est certa fides, fontibus e tuis Quam divinitus hausimus. Amen.

℣. Valde honorandus est beatus Joannes.
℟. Qui supra pectus Domini in coena recubuit.

Oremus.

Oratio. Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra: ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO ss. INNOCENTIUM.

Salvete, flores Martyrum, In lucis ipso limine, Quos saevus ensis messuit, Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima, Grex immolatorum tener, Aram sub ipsam simplices, Palma et corona luditis.

Quid proficit tantum nefas? Quid crimen Herodem juvat? Unus tot inter funera Impune Christus tollitur.

Inter coaevi sanguinis Fluenta solus integer Ferrum, quod orbabat nurus, Partus fefellit Virginis.

Sic dira regis impii Edicta quondam fugerat, Christi figuram praeferens Moyses, receptor civium.

Matres, querelis parcite; Quid rapta fletis pignora? Agnum salutis obsidem Denso sequuntur agmine.

Qui natus es de Virgine, Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre cumque Spiritu In sempiterna saecula. Amen.

℣. Hi emti sunt ex hominibus. ℟. Primitiae Deo et Agno. Oremus.

Oratio. Deus, cujus hodierna die praeconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO s. JOSEPHI.

Magne Joseph, fili David, custos date Virgini, Quem et Virgo nuncupavit patrem Christi Domini: Qui, fidelis servus, Dei datus es familiae, Precor velis curam mei tanquam pater gerere.

Dum in Bethlem profecturus pergeres cum Virgine, Deus nobis par futurus natus est in tempore. Quem in foeno collocatum coluisti gnaviter, Nunc in coelis elevatum ora pro me jugiter.

Vim Herodis evasisti monitus ab Angelo, In Aegyptum cum duxisti Virginem cum Parvulo. Per moerorem, quem tulisti isto in exilio, Cum gravabor hora tristi, mihi sis auxilio.

Ex Aegypto cum defensus Galilaeam peteres, Et in Nazareth digressus, ut securus degeres; In florentis hortum mentis amas Jesum ducere: Da florescat et nitescat hortus meae animae.

Quam dolebas, cum quaerebas duodennem Jesulum! Sed inventus et retentus auxit illc gaudium. Jesum lumen oculorum fac me nunquam perdere: Semper puritate morum menti adsit integrae.

Inter Jesu et Mariae manus integerrimus Spiritum emittis pie hinc ad sedes superas. Eja Jesu et Mariae te conjunge tertium, Quando me suprema die mors citabit anxium. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancte Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Oratio. Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN FESTO NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTAE.

Quis, putas, hic erit puer qui nascitur? Quae se jam exerit, quid operabitur Dei-potentia?

Nascento filio vox patri redditur; Dei consilio mater imbuitur; Stupet vicinia.

Propheta nascitur novus Altissimi: Praecursor oritur jam Solis proximi, Orbem qui visitat.

En plebis certior adest redemtio: Deus propinquior, erecto solio, Davidem suscitat.

Audite populi, gentes attendite! Ad vocem famuli parentur semitae Rectori gentium.

Illum excipient deserta Domini: Montes subsilient, vos implebimini, Profunda vallium.

Quin ipse veniet ad aquas Dominus: Caput subjiciet, qui sacri terminus Est ministerii.

Joannes mittitur, Lex finem accipit: Vim coelum patitur; ab hoc jam incipit Vox Evangelii.

Hanc aures dociles ut vocem audiant, Ut mentes humiles hanc, Christe, capiant, Frange duritiam.

In hoc ne segniter laetemur lumine, Trahe nos fortiter a vatis flumine Ad tuam gratiam. Amen.

℣. Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.
℟. Praeibis ante Dominum parare vias ejus.

Oremus.

Oratio. Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis aeternae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO ss. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Te laudamus, o Regnator, O pastorum Christe Pastor, Summis in Principibus.

Tibi memor gratuletur, Et concessis glorietur Pia plebs parentibus.

Hi sunt Sion fundamenta, Hi columnae, fulcimenta, Turres, propugnacula;

Hi bissenae turbae duces, Hi stellantis aulae faces, Orbis et oracula.

His ambobus orbis cessit, His ambobus nox recessit Pulsa luminaribus.

Petro vertex principatus, Paulo verbi magistratus Obtigit in Gentibus.

Illi claves committuntur, Huic arcanae res panduntur Rapto super aethera.

Haec foecunda nos lactarunt Ore, scriptis, et potarunt Sponsae matris ubera.

Navis Petri non quassatur, Contra fluctus obfirmatur; Hac in arca grex salvatur Integer credentium.

Quin Olympus reseratur, Vel indignis obseratur, Sors aeterna temperatur Ad Petri judicium.

Petre, radix unitatis! Paule, jubar veritatis! Super astra qui regnatis Datae jure potestatis, Nos e coelo regite.

Quos in fide genuistis, Quos praeceptis imbuistis, Quos exemplo docuistis, Quos cruore perfudistis, Deo nos conjugite. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eorum. Oremus.

Oratio. Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiae tuae, eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumsit exordium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO ss. ANGELORUM CUSTODUM.

Qui protegis nos, Angele, Comesque nobis jungeris, Pro sedula custodia Grates tibi rependimus.

Tu sancta proles aetheris, Humi jacentes sublleva, Pennas et adde, patriam Quibus juves nos tangere.

Defensor esto pervigil, Et umbo, qui nos muniat; Hostis superbi perfidis Ne vulneremur ictibus.

Deum precare jugiter, Tuisque nostras inserens Offer Dei throno preces, Referque dona gratiae.

Dum vivimus, nos admone: Te subsequamur praevium: Et judici post funera Nos siste puros criminis.

Sit Trinitati gloria, Qua dante, custos aliger Coeli viam nos edocet, Et ambulantes adjuvat. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Oremus.

Oratio. Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Vos sancti proceres, vos superum chori, Coeli quotquot habet regia principes, Nostros nunc date vestris Cantus jungere cantibus.

Primis ante alios gloria coelitum, Christi Virgo-parens fulget honoribus, Divinoque severum Flectit pignore Judicem.

Adstant spirituum mille acies throno; Regi sancta ferunt vota clientium: Hic Baptista profundo Lucis flumine mergitur.

Quorum nuntia vox orbis ad ultimas, Christum vox resonans, intonuit plagas; Praecones duodeni Sacris vatibus assident.

Fuso purpurei sanguine Martyres, Et puro niveae pectore Virgines, Agno candida fundunt Rubris lilia cum rosis.

Qui pavere suos praepositi greges, Pascuntur supero Numine plenius: Qui flevere, serenus Abstergit lacrymas Pater.

Quando mens misero libera carcere Se vestris sociam coetibus inseret, Et, caligine pulsa, Coeli lucem habitabimus?

Obscurae fugient mentis imagines, Cum stantes propius luminis ad jubar Nos Verum sine nube Ipso in fonte videbimus.

Nobis, sancta Cohors, sis bona: fluctibus Luctantes mediis quos modo respicis, Da portus, duce Christo, Da contingere prosperos.

A quo cuncta fluunt, maxima laus Patri; Qui mundum reparat, maxima Filio; Et quo pectora flagrant, Sit laus maxima Flamini. Amen.

℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Laetabuntur in cubilibus suis. Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari: quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Dies irae, dies illa, Solvet saeclum in favilla, Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus, Quando Judex est venturus, Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum Per sepulcra regionum, Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura, Cum resurget creatura, Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur, In quo totum continetur, Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit, Quidquid latet apparebit, Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus, Quem patronum rogaturus, Cum vix justus sit securus?

Rex tremendae majestatis, Qui salvandos salvas gratis! Salva me fons pietatis.

Recordare, Jesu pie, Quod sum causa tuae viae; Ne me perdas illa die.

Quaerens me, sedisti lassus; Redemisti, crucem passus: Tantus labor non sit cassus.

Juste Judex ultionis, Donum fac remissionis Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus; Culpa rubet vultus meus: Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam*) absolvisti, Et latronem exaudisti: Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae: Sed tu bonus fac benigne, Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta, Et ab hoedis me sequestra, Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis, Flammis acribus addictis, Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis, Cor contritum quasi cinis, Gere curam mei finis.

---

*) Mariam Magdalenam.

Lacrymosa dies illa, Qua resurget ex favilla Judicandus homo reus!

Huic ergo parce, Deus: Pie Jesu, Domine, Dona eis requiem. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. Oremus.

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor et Redemtor: animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Urbs beata, vera pacis Visio, Jerusalem, Quanta surgit! celsa saxis Conditor viventibus: Quae polivit, haec coaptat Sedibus suis Deus.

Singulis ex margaritis Singulae portae nitent, Murus omnis fulget auro, Fulget unionibus; Angularis petra JESUS Fundat nobis moenia.

Ejus est sol caesus Agnus; Ejus est templum Deus: Aemulantes hic beati Puriores spiritus Laude jugi Numen unum Terque sanctum concinunt.

Undequaque sunt aperta Civitatis ostia: Quisquis ambit huc venire, Inserique moenibus, Ante duris hic probari Debuit laboribus.

Sit perennis laus Parenti, Sit perennis Filio: Laus tibi, qui nectis ambos, Sit perennis

Spiritûs, Chrisma cujus nos inungens Vita templa consecrat. Amen.

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.
℟. In longitudinem dierum. Oremus.

Oratio. Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti Templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes: exaudi preces populi tui, et praesta; ut, quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIONES
DE DOMINICIS ET FESTIS PER ANNUM,
EX
PLURIUM GALLIAE DIOECESIUM MISSALIBUS ET BREVIARIIS DEPROMTAE.

I. PROPRIUM DE TEMPORE.

Dom 1. *Adv.* Praeveniat nos, quaesumus omnipotens Deus, tua gratia semper et subsequatur: ut per Adventum Unigeniti tui, quem summo cordis desiderio sustinemus, et praesentis vitae subsidia et aeternae beatitudinis praemia consequamur.

Dom. 2. *Adv.* Da nobis, quaesumus omnipotens Deus, Adventum Unigeniti tui cum summa vigilantia expectare: ut, sicut ipse auctor nostrae salutis docuit, velut fulgentes lampades in ejus occursum animas nostras praeparemus.

Dom. 3. *Adv.* Festina, quaesumus Domine, ne tardaveris, et auxilium nobis supernae virtutis im-

pende: ut Adventus tui consolationibus subleventur, qui in tua pietate confidunt.

(*Feriis quatuor temporum.* Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis segregare jussisti Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumseras eos: adesto nunc Ecclesiae tuae jejunanti et oranti, et in ea per Spiritum tuum idoneos et fideles mysteriorum Christi suscita dispensatores; ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs, protegente te, in viam salutis dirigatur.)

Dom. 4. *Adv.* Cito anticipent nos misericordiae tuae, Domine: et instante Nativitate unigeniti Filii tui, da nobis illam cum gratiarum actione et spiritali gaudio celebrare.

In Nat. Dni. 1. Deus, qui mirabili consilio Unigenitum tuum in stabulo nasci, et pannis involutum in praesepio reclinari voluisti: tribue quaesumus, ut ejus infantiam et humilitatem piis affectibus prosequentes, simplicitate et innocentia eidem conformes inveniamur. — 2. Concede nobis, omnipotens Deus, ut Salutare tuum nova coelorum luce mirabile, quod ad salutem mundi hodierna festivitate processit, nostris semper innovandis cordibus oriatur. — 3. Deus, qui restaurationem conditionis humanae mirabilius operaris, quam substantiam condidisti: tribue quaesumus, ut simul perficiantur in nobis, et quod creavit Verbi tui divina generatio, et quod ejus hominis facti gloriosa nativitas reformavit.

Dom. post. Nat. Dni. Deus, qui nativitatis tuae exordium pro nostra necessarium salute duxisti: respice propitius ad Ecclesiae tuae preces, et quos similis imagini tuae fecisti, similiores operatione perfice mandatorum.

In Circumc. Dni. Deus, qui homo factus, circumcidi propter nos, et Salvatoris nomen hodie accipere voluisti: concede propitius, ut carnis re-

nunciantes operibus, salutis aeternae praemium per invocationem sancti tui Nominis consequamur.

Dom. post Circ. Deus, qui Unigenitum tuum ab aeterno Deum pro nobis in aeternum hominem esse voluisti: fac nos, quaesumus, hanc ineffabilem ac divinissimam vitam Verbi in humanitate, et humanitatis in Verbo vitae jugiter celebrare, ut ejus spiritu animemur in terris, et ejus aspectu perfruamur in coelis.

In Epiph. Dni. Deus, qui nos ineffabili misericordia de tenebris in admirabile lumen tuum vocare dignatus es: auge in nobis fidei gratiam, quam dedisti, ut eum, quem Magi venerati sunt in cunabulis, adorantes, ipsi munera de cordibus nostris Deo digna promamus.

In Festo Ss. Nominis Jesu. Domine Jesu, cujus Nomen nemo dicere potest, nisi in Spiritu sancto: concede, quaesumus, ut in eodem Spiritu sacratissimum Nomen tuum invocantes, salvos nos facias a peccatis.

Dom. 1. post Epiph. Dni. Placeant tibi, Domine, preces famulorum tuorum: et ut Christum Salvatorem suum inveniat, da illis et ipsum audiendi ardorem, et invocandi fiduciam, et quaerendi perseverantiam.

2. Domine Deus, qui, ut nuptias sanctificares, iis interesse voluisti: da nobis earum intelligere mysterium, et ad illas nuptias pertinere, in quibus ipse sponsus es castarum animarum.

3. Per sacrificia, in quibus Advocatus tibi exhibetur Jesus Christus justus, propitiatio non pro peccatis nostris tantum, sed et pro totius mundi: nos, quaesumus Domine, in illa corporis et spiritus munditie conserva, quae semper tibi placeat et a te coronari mereatur.

4. Te, Domine, suppliciter exoramus: ut delicta nostra miseratus absolvas, et inter hujus saeculi tempestates nutantia corda dirigas.

5. Deus, qui nos unanimes in domo tua praecipis habitare: humiliter te deprecamur, ut zizaniorum seminatorem a nobis procul repellas, unamque mentem et unum cor iis tribuas, quibus est una fides, unum baptisma, unum sacrificium.

6. Auge in populo tuo, Domine, mysteriorum regni tui intelligentiam: et eam in pectoribus nostris fove fidem, quae Evangelii semen in nobis faciat pullulare.

Dom. Sept. Deus, qui per gratiam tuam coelestis vocationis participes nos effecisti: da, ut per bona opera certam electionem nostram facientes, inter electos a te recipi mereamur.

Dom. Sex. Deus, qui ineffabili misericordia dedisti nobis auditum fidei: concede, ut in corde bono et optimo verbum tuum retinentes, per gratiam tuam fructus justitiae afferamus.

Dom. Quinqu. Miserere nostri, Fili David, et aperi oculos: ut mundana aversantes oblectamenta, te, quem adoramus, sequamur, et in beata aeternitate videndo possideamus.

(*Fer. IV. Cinerum.* Deus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanae benignissime respice: ut, qui nos cinerem esse, et ob pravitatis nostrae demeritum in pulverem reversuros cognoscimus, peccatorum omnium veniam et praemia poenitentibus repromissa misericorditer consequi mereamur.)

Dom. 1. Quadr. Jejunium quadraginta dierum Mediatoris nostri exemplo consecratum observantes, te Domine deprecamur: ut, cum epularum restrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus sic temperemus, ut in tentatione fortes protegente te inveniamur.

2. Quem adoramus et suscipimus sacri mysterii nube obumbratum: fac nos, Domine, mentis auribus et toto corde audire Filium tuum dilectum,

ut filii in ea dulcedinis multitudine mereamur sociari, cujus in Sacramento degustamus libamenta.

3. Populo tuo, quaesumus Domine, veniat tuae benedictionis infusio: quae diabolicas repellat insidias, fragilem juvet et protegat, inopem sustentet et foveat.

4. Domine Deus, qui multitudinem populi tui in deserto mirabiliter reficiens, nos erga pauperes commiserationem docuisti: praesta ut eorum necessitatibus ex vera charitate communicantes, promissa misericordiae tuae praemia consequamur.

In Festo Vulnerum Christi. Concede, quaesumus, misericors Deus: ut sacrae Unigeniti tui plagae sint nobis medela vulnerum, et fontes salutis aeternae.

Dom. Pass. Deus, qui Unigeniti tui passione antiqui hostis contrivisti superbiam; da populo tuo, et quae ipse propter nos pertulit digne recolere, et adversa omnia ejus exemplo aequanimiter tolerare.

In Compass. B. V. M. Da, quaesumus Domine, cordibus nostris intimum verae pietatis affectum: ut in Filii tui passione, sanctissimae Matri ejus digne compatientes, salutaris mysterii fructum percipere mereamur.

Dom. Palm. Deus, qui Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum pro salute nostra in hunc mundum misisti, ut se humiliaret ad nos, et nos revocaret ad te; cui etiam, dum Jerusalem veniret, ut adimpleret Scripturas, credentium populorum turba fidelissima devotione vestimenta sua cum ramis palmarum in via sternebant: praesta, quaesumus, ut illi fidei viam praeparemus, de qua, remoto lapide offensionis et petra scandali, frondeant apud te opera nostra justitiae ramis.

In Coena Dni. Deus, cujus Unigenitus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos: da nobis hodiernum charitatis ejus ita venerari mysterium, ut

morienti pro peccatis nostris configi, et resurgenti propter justificationem nostram in aeternum coadunari mereamur Domino nostro Jesu Christo.

In Parasceve. Deus, qui per humillimam Filii tui mortem mundum tibi reconciliare voluisti: praesta, quaesumus, ut per ejus Sanguinem justificati, ad eam, quam nobis acquisivit, perveniamus gloriam aeternam.

Sabb. scto. Deus, qui nos per Paschale mysterium docuisti vetustatem vitae relinquere, et in novitate spiritus ambulare: praesta, ut Unigenitus tuus nobis vitam suam tribuat, qui mortem suscepit et occidit.

In Festo Pasch. 1. Innova nos, quaesumus Domine, Resurrectionis tuae laetitia, et a cunctis absolve nexibus peccatorum: ut redemtionis nostrae mysterium digne servemus in opere, et aeternis laudibus celebremus. — 2. Concede nobis, misericors Deus, ut, sicut Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: ita et nos existimemus mortuos quidem peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. — 3. Deus, qui redemtionis humanae auctor es et salutis: exaudi supplicantium preces, et praesta, ut fideles tui a peccato liberati, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Dom 1. post Pascha. Deus, qui secundum misericordiam tuam magnam regenerasti nos in spem vivam haereditatis incorruptibilis: conserva in nobis gratiam baptismi, et praesta, ut, quam in eo vestem candidam accepimus, eamdem incontaminatam aut poenitentiae lacrymis abstersam tibi in hora mortis repraesentare valeamus.

2. Deus, qui venisti, ut oves tuae vitam haberent et abundantius haberent: praesta gregi tuo, ut ab omni pravitatis incursu te protegente salvetur.

3. Deus tuorum consolator fidelium: concede, ut futurae vitae laetitiam, quam morte devicta

nobis promeruit Filius tuus, fidei oculis incunctanter intueamur, et non dubitemus implenda, quae ipso novimus attestante promissa.

4. Deus, cujus Filius post resurrectionem suam brevi tantum tempore cum Apostolis suis conversari voluit, ut, quem secundum carnem noverant, secundum spiritum perfectius diligerent: da nobis sic ad invisibilia tendere, ut promissi Spiritus capaces esse possimus.

5. Auge in nobis, Domine, spiritum gratiae et precum: atque ut exaudiri mereamur, fac nos ea, quae recta sunt in oculis tuis, ardenter desiderare et perseveranter postulare.

In Ascens. Dni. Concede nobis, quaesumus, tuae pietatis auxilium: ut secundum tuam promissionem, et tu nobiscum semper maneas in terris, et nos tecum in coelo vivere mereamur.

Dom. 6. p. Pascha. Da, quaesumus, omnipotens Deus, illuc subsequi tuorum membrá fidelium, quo caput nostrum principiumque praecessit.

In Pentecoste. 1. Deus, qui sacramento festivitatis hodiernae universam Ecclesiam tuam in omni gente et natione sanctificas: in totam mundi latitudinem Spiritus tui sancta dona diffunde; ut, quod inter ipsa evangelicae praedicationis exordia operata est divina dignatio, nunc quoque in credentium cordibus operetur. — 2. Legem tuam, quaesumus Domine, per Spiritum sanctum scribe in cordibus nostris: ut in semita judiciorum tuorum ambulantes, coelestia dona, te donante, consequamur. — 3. Deus, qui Ecclesiam tuam Spiritus sancti gratia regere et fovere non desinis: dignare eam misericordiae tuae novis effectibus consolari; ut et jugiter in ejus sinu tibi serviat unanimitas sancta fidelium, et ad ipsam infidelium multitudo populorum unitate fidei congregetur.

In Festo Ss. Trinitatis. Domine Deus, Pater omnipotens, famulos tuae Majestati subjectos, per unicum Filium tuum, in virtute Spiritus sancti, benedic et protege: ut te desideremus fideliter, agnoscamus veraciter, et sinceriter diligamus.

In Festo Corp. Christi. Domine Jesu, qui ex hoc mundo transiturus ad Patrem Sacramentum Corporis et Sanguinis tui in alimentum simul et solatium Ecclesiae tuae tradidisti: da nobis, ut te ipsum, quem nunc absconditum in mysterio veneramur, revelata facie in coelesti gloria mereamur contemplari.

In Festo s. Cordis Jesu. Deus, qui omnes thesauros sapientiae et scientiae tuae posuisti in corde sacratissimo dilecti Filii tui: annue, quaesumus, tuorum votis fidelium, ut hoc donorum coelesti fonte patefacto, de ejus plenitudine supereffluentem gratiam accipere mereamur.

Dom. 1. post. Pent. Concede, quaesumus Domine, fidelibus tuis spiritum charitatis et pacis, qui eos erga proximum amoris dulcedine afficiat: ut de fratribus bene cogitent, et de propriis meritis nunquam praesumant.

2. Deus, qui nos ad delicias spirituales semper invitas: auge in nobis paratae dulcedinis mysterium; ut tuae vocationi fideliter obsequentes, posthabitis omnibus, ad coenae tuae convivium accurramus.

3. Deus miserator, qui uno peccatore converso maximum facis gaudium in coelis haberi: da fidelibus tuis, et tibi Pastori bono inviolabiliter adhaerere, et de reditu perditarum ovium cum gratiarum actione laetari.

4. Deus, qui Ecclesiam gratiae tuae largitate ex omni gente multiplicas; annue precibus nostris, et praesta: ut quae laetatur de multitudine filiorum, de eorum sanctificatione et salute glorietur.

5. Deus, cujus oculis fratrum reconciliatio placitum est sacrificium, praesta: ut veniam peccatorum, quam ad altare tuum accedentes poscimus, omnis injuriae oblivione mereamur.

6. Gratias tibi agimus, Domine, de multiplicatis super nos misericordiis tuis: qui mortalitatem nostram necessariis adjumentis sustentas, et animam nostram reficis ipso pane vitae.

7. Rege nos Spiritu tuo, Domine: ut non verbo neque lingua tantum, sed et opere et veritate Dominum confitentes, in partem sortis Sanctorum mereamur admitti.

8. Istam nobis inspiret prudentiam gratia tua, Deus, quae thesaurizare doceat thesauros in coelo: ut, pauperum obsecratione pro nobis et gratiarum actione, fragiles divitiae cum aeternis commutentur.

9. Deus, qui peccantium animas non vis perire, sed culpas; contine quam meremur iram, et quam precamur super nos infunde clementiam.

10. Deus, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam: concede nobis sincerae humilitatis virtutem, ut in omnibus nos humiliantes, a te exaltari mereamur.

11. Sentiamus, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, quae aures nostras ad obediendum tibi aperiat, et linguam nostram ad recte et pie loquendum solvat.

12. Corda nostra convertat Spiritus tuus, Domine, et tuae repleat abundantia charitatis: qua et te Dominum nostrum, et amicum in te, et inimicum propter te diligamus.

13. Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo secura est alterius beneficii impetratio: da nobis, dignas tibi gratiarum actiones semper rependere, ut misericordiam tuam ad impertienda nobis nova bona provocemus.

14. Da nobis, quaesumus Domine, regnum tuum et justitiam ejus inquirere: et praesta, ut bonis temporalibus, quae ex benignitate spiritualibus adjicis, sobrie et pie utamur.

15. Deus, ad cujus imperium mortui resurgunt ad vitam: nos, quaesumus, per Sacramenta gratiae tuae nova vita donatos, ad piae matris Ecclesiae consolationem, aeternae vitae participes efficere digneris.

16. Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut ejus gratia reficiamur, qui humilis in terra, humiles ad se verbo et exemplo vocavit.

17. Deus, qui plenitudinem mandatorum in tua et proximi dilectione posuisti: hanc nobis gratiam largire propitius; ut, quia in multis offendimus, tua charitas abundet in nobis, per quam peccata mundantur.

18. Deus infinitae misericordiae et bonitatis immensae, propitiare iniquitatibus nostris, et omnibus animarum medere languoribus: ut peccatorum nostrorum remissione percepta, semper in Nominis tui benedictione laetemur.

19. Omnipotens sempiterne Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: purifica, quaesumus, corda nostra, ut justitia tua quasi veste nuptiali induti, ad aeternas Agni nuptias admitti mereamur.

20. Da, misericors Deus, Christum habitare per fidem in cordibus nostris; ut in ea fundati et stabiles, paratas credentibus repromissiones consequamur.

21. Concede nobis, Domine, spiritum charitatis, et praesta: ut iis, qui nos laeserunt, ignoscentes, a te veniam consequi mereamur.

22. Dirigat corda nostra, quaesumus Domine, tuae pietatis operatio: ut et tibi nostra omnia,

quae tua sunt, reddamus, et ordinatis a te potestatibus promta simus voluntate subjecti.

23. Proficiat, quaesumus, Domine, plebs tibi dicata piae devotionis affectu: ut tuis instituta doctrinis, quanto in fide sit firmior, tanto donis potioribus augeatur.

24. *et ult.* Corda nostra, quaesumus Domine, sancto judiciorum tuorum timore confige; ut vitam nostram emendantes in melius, misericordiam et gloriam a te obtinere mereamur.

II. DE CETERIS FESTIS PRAECIPUIS PER ANNUM.

3. *Dec. S. Francisci Xav.* Renova, quaesumus Domine, in ministris tuis apostolici zeli fervorem: qui beato Francisco Xaverio Sacerdoti tuo dedisti, eadem, quae primis Ecclesiae diebus operati sunt Apostoli, postremis saeculis te duce tentare et te protegente perficere.

6. *Dec. S. Ambrosii.* Deus, qui sanctum Pontificem Ambrosium et eloquio suavem, ut doceret, et zelo fortem, ut corriperet, esse dedisti; fac nos monitis ejus adeo dociles, ut per custodiam mandatorum tuorum coelestibus gaudiis reddamur aptiores.

8. *Dec. Concept. B. V. M.* Deus, qui per immaculatam beatissimae Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparare dignatus es: quaesumus, ut, sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, ita nos omni labe mundatos ad te pervenire concedas.

21. *Dec. S. Thomae Ap.* Deus, cujus Carnem in tuo Sacramento non palpamus modo, sed intimo pectore suscipimus: praesta quaesumus, ut

cum Apostolo tuo Thoma te Dominum ac Deum nostrum fide per dilectionem operante fateamur.

26. *Dec. S. Stephani Protom.* Domine Jesu, a quo spiritum suum suscipi Martyr Stephanus postulavit: da nobis, ut ejus exemplo in charitate tua morientes, sempiterna in te requie perfruamur.

27. *Dec. S. Joannis Ap. et Ev.* Per intercessionem beati Joannis Apostoli tui, da nobis, omnipotens Deus: ut ejus documento de Divinitate nostri Redemtoris edocti, et amando quod tradidit, et exequendo quod jussit, ad dona pervenire mereamur, quae promisit idem Jesus Christus Filius tuus Dominus noster.

28. *Dec. Ss. Innocentium.* Deus, qui, licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis: da nobis, quaesumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino nostro testimonium praebuerunt etiam non loquentes.

28. *Jan. et* 22. *Febr. Cathedr. S. Petri Romae et Antiochiae.* Deus, qui primam Apostoli Petri sedem Christiani nominis exordio, et alteram Catholicae unitatis sacramento commendasti: praesta quaesumus, ut ejus intercessione, et dotibus Christianis et Catholica semper communione gloriemur.

25. *Jan. Convers. S. Pauli Ap.* Illa, quaesumus Domine, gratia corda nostra ad te convertat: quae beatum Apostolum tuum Paulum de persecutore vas electionis effecit.

27. *Jan. S. Joannis Chrysostomi.* Da nobis in sacro ministerio, Domine, Spiritum sapientiae et fortitudinis: quo beatus Joannes Chrysostomus peccantes arguere non destitit, et multiplices aerumnas pro tui Nominis amore superavit.

29. *Jan. S. Francisci Salesii.* Percipiamus a te, misericors Deus, suavem sensum illius fervidae pietatis: quam dilecti tibi et hominibus Francisci

Salesii ignito eloquio in tuorum corde fidelium excitasti.

2. *Febr. Praesentat. Dni.* Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut Unigenitus tuus, qui pro nobis per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum tibi, emundet conscientiam nostram ab operibus mortuis, et nos cum se ipso acceptabile tibi faciat holocaustum.

24. (25.) *Febr. S. Matthiae Ap.* Deus, qui ad supplendam perditoris apostatae ruinam, beatum Matthiam Apostolorum tuorum numero sorte aggregasti: quaesumus, ut et nos per misericordiam tuam in partem sortis Sanctorum adscribere digneris.

12. *Mart. S. Gregorii Magni.* Deus corona Pontificum et lucerna Doctorum, qui beatum Gregorium Ecclesiae tuae providisti Pontificem et Doctorem: quaesumus, ut ejus nos semper et exemplis erudias et documentis informes.

19. *Mart. S. Josephi.* Clementissime Jesu, qui beatum Joseph dilectissimae tuae Matris sponsum et custodem providisti, nutritiumque tuum elegisti: ejus precibus meritisque concede, ut in tuis semper semitis ambulantes, in tuo moriamur amplexu.

21. *Mart. S. Benedicti.* Suscipe, quaesumus Domine, quas tibi preces offerimus, et concede: ut sancti Benedicti Abbatis imitatione, desideria carnis spiritu mortificantes, tibi soli vivamus.

25. *Mart. Annunt. B. V. M.* Omnipotens sempiterne Deus, qui coaeternum tibi Filium hodie pro mundi saluto, secundum carnem Spiritu sancto concipiendum Angelico ministerio beatae Mariae semper Virgini declarasti: praesta, ut, cujus incarnationis mysterium cognovimus, ejus redemtionis fructum percipere mereamur.

25. *Apr. S. Marci Ev.* Gratia tua, quaesumus, omnipotens Deus, precibus beati Evangelistae tui

Marci, et animas nostras sanctificet, et in fide Evangelii nos reddat immobiles.

1. *Maji. Ss. Philippi et Jacobi App.* Purifica mentes nostras, quaesumus Domine: ut cum Apostolis tuis Philippo et Jacobo, te in Patre et Patrem in te contemplantes, vitam aeternam habeamus.

2. *Maji. S. Athanasii.* Praesta, quaesumus, omnipotens Pater: ut Verbi tibi consubstantialis Divinitatem, quam beatus Athanasius asseruit, et convenienter intelligere valeamus, et veraciter profiteri.

3. *Maji. Invent. S. Crucis.* Devotas, Domine, humilitatis nostrae preces misericordiae tuae praecedat auxilium: et salutem, quam per Adam in paradisi ligno clauserat temeraria praesumtio, ligni rursum fides aperiat.

6. *Maji. S. Joannis ante port. lat.* Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, sicut beatum Joannem in ferventi oleo illaesum custodisti, ita nos inter varias cupiditatum aestus, immaculatos conservare digneris.

9. *Maji. S. Gregorii Naz.* Fideles tui, quaesumus Domine, apud te sentiant intercessorem beatum Gregorium: quem in fide habuerunt Doctorem et magistrum.

5. *Junii. S. Bonifacii Ap. Germ.* Da Ecclesiae tuae Germanicae, misericors Deus: ut merita sancti Episcopi et Martyris Bonifacii pietatem tuam pro ipsa exorent, et fructum in nobis laborum ejus custodiant.

6. *Jun. S. Barnabae Ap.* Deus, qui beatum Barnabam plenum fide et Spiritu sancto ad opus vocationis et conversionis Gentium assumere dignatus es: concede, ut memores operis et charitatis ejus, Evangelio Christi, quod praedicavit, digne conversari mereamur.

14. *Jun. S. Basilii.* Fideles tuos, Domine, Christo magistro edoce: ut, interveniente beato Basilio, discant in humilitate veritatem tuam, et eam in charitate fideliter operentur.

24. *Jun. Nat. S. Joannis Bapt.* Beati Joannis Baptistae nativitatem celebrantes, da nos, quaesumus Domine, poenitentiae, quam praedicavit, dignos fructus facere: ut viam in cordibus nostris praeparemus Jesu Christo Domino nostro.

29. *Jun. Ss. App. Petri et Pauli.* Deus, qui Ecclesiam tuam Apostoli tui Petri fide et nomine consecrasti, quique illi beatum Paulum ad praedicandum Gentibus gloriam tuam sociare dignatus es: concede, ut eorum precibus ad coelestem patriam, quam alter cruce, alter gladio meruit, introduci valeamus.

30. *Jun. Commem. S. Pauli.* Ecclesiam tuam beati Pauli Apostoli praedicatione edoctam, nulla sinas Domine fallacia contaminari: et ad peragenda quae docuit, ipso intercedente, fidelibus tuis efficaciam tribue.

2. *Jul. Visitat. B. V. M.* Omnipotens sempiterne Deus, qui mysterium incarnationis Filii tui ab Angelo nuntiatum in visitatione beatae Mariae semper Virginis per exultationem Joannis in utero et exclamationem matris ejus Elisabeth amplius manifestare dignatus es: concede propitius, ut assidua visitatione tua consolemur, et e cunctis periculis eruamur.

19. *Jul. S. Vincentii de Paulo.* Ecclesiae tuae precibus benignus aspira, misericors Deus: et qui egenis ad subsidium, infirmis ad solatium, rudibus ad catechismum, Clericis ad exemplum, beatum Vincentium ministrum providisti: ita nunc in messem tuam multam mitte operarios plenos Spiritu sancto, ut evangelizentur pauperes tui et laetentur.

25. *Jul. S. Jacobi Ap.* Fac nos, Domine, ad omnia pro nomine tuo subeunda paratos, et praesta: ut precibus et exemplo beati Jacobi, cujus sanguine Apostolorum tuorum primitias consecrasti, nec persecutio nec gladius separare nos possit a charitate tua, quae est in Jesu Christo Domino nostro.

31. *Jul. S. Ignatii Lojolae.* Eum in nobis, quaesumus Domine, accende charitatis ardorem, quem sancto Sacerdoti tuo Ignatio pro salute animarum inspirasti: ut digne vocatione nostra ambulantes, promissum bene operantibus mereamur praemium obtinere.

1. *Aug. S. Petri ad vincula.* Deus, qui beatum Petrum Apostolum, Ecclesia pro eo sine intermissione orante, a vinculis liberasti: concede propitius, ut ipso pro Ecclesia jugiter interveniente, perfecta libertate donari mereamur.

4. *Aug. S. Dominici.* Miserator et misericors Deus, qui beatum Dominicum in profliganda haeresi, corrigendis depravatis moribus et restauranda puriori disciplina gloriosum exhibuisti: da nobis ejus spiritu repleri, exemplis confortari et intercessione adjuvari, ut tibi, cui adhaerere bonum est, fideliter ac perseveranter serviamur.

6. *Aug. Transfig. Dni.* Celebrantes sacrosancta Filii tui transfigurati mysteria, da nos, omnipotens Deus, ipsius Evangelio sic adhaerere; ut ad illam gloriam, cujus in se speciem Apostolis ostendit, et suspirare jugiter, et feliciter pervenire valeamus.

15. *Aug. Assumt. B. V. M.* Veneranda nobis, Domine, hujus diei Festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum.

20. *Aug. S. Bernardi.* Deus, qui ex ore beati Bernardi rivos sapientiae salutaris ad irriganda populi tui pectora deduxisti: concede propitius, ut extincto in nobis mundanae sapientiae gustu, te solum verae sapientiae fontem sitiamus.

24. *Aug. S. Bartholomaei Ap.* Deus qui per beati Apostoli tui Bartholomaei ministerium eripiens nos, de potestate tenebrarum transtulisti in regnum Filii dilectionis suae: concede quaesumus, ut, quibus inest fidei justificatio, ejus intercessione non desit gratiae plenitudo.

28. *Aug. S. Augustini.* Amor qui semper ardes et nunquam extingueris, charitas Deus noster: accende nos igne tui amoris, et praesta, ut exemplo beati Augustini ex omni corde tibi inhaerentes in terris, aeternum te ipso frui mereamur in coelis.

29. *Aug. Decoll. S. Joannis B.* Deus, qui beatum Joannem Filii tui morientis aeque ac nascentis praecursorem esse voluisti: concede, ut, sicut ille veritatis et justitiae martyr occubuit, ita nos pro veritate et justitia ad mortem usque certemus.

Dom. 1. Sept. Ss. Angelorum Cust. Offerant tibi, Domine, Angeli tui preces nostras: et ut exaudiantur a te, da nobis eos reverenter observare, et vocem eorum fideliter audire.

8. *Sept. Nativit. B. V. M.* Deus, qui in beneplacito tuo mundum tibi reconciliare voluisti: praesta, quaesumus, ut, qui Nativitatem sanctae Dei Genitricis celebramus, ipsam, quam Filius ejus operatus est salutem, Matris intercessione consequamur.

14. *Sept. Exaltat. S. Crucis.* Domine Deus, qui discipulis tuis mortem tuam significans, te exaltatum a terra omnia tracturum ad te ipsum praenuntiasti: da nobis, quaesumus, tibi crucifixo configurari, et nonnisi in ipsa Cruce gloriari.

21. *Sept. S. Matthaei Ap.* Deus, qui ad poenitentiam peccatores ineffabili misericordia vocare dignaris: da nobis exemplo et intercessione beati Matthaei, quem de publicano Apostolum fecisti, ut te relictis omnibus sequi, tibi firmiter adhaerere, et te libera voce ac bonis operibus confiteri valeamus.

29. *Sept. S. Michaelis Archang.* Deus, qui nobis panem Angelorum in hoc saeculo manducare tribuis: concede propitius, ut eorum et puritatis in terris, et beatitudinis in coelis participes esse mereamur.

30. *Sept. S. Hieronymi.* Deus, qui beatum Hieronymum multiformis scientiae fluentis satiare voluisti, ut scriptorum suorum splendore multarum sal et lumen fieret animarum: pietatem tuam exoramus, ut tanti Doctoris precibus adjuti, scientiam Sanctorum assequi valeamus.

Dom 1. Oct. S. Rosarii B. V. M. Domine Jesu Christe, qui intercedente beatissima Matre tua nos de hostibus fidei triumphare fecisti: vota nostra clementer exaudi, et illorum mentes illumina, ut idem nobiscum sapientes, te veraciter colant, totoque affectu diligant.

4. *Oct. S. Francisci Assis.* Deus, qui te parvulis et humilibus revelare non dedignaris: tribue quaesumus, imitatione beati Francisci, et stultam hujus mundi dediscere sapientiam, et solum ediscere Jesum Christum crucifixum.

18. *Oct. S. Lucae Ev.* Deus, qui beato Lucae corporum medico Evangelium Filii tui nobis tradendum credens, eum etiam fecisti medicum animarum: fac nos, salubri verbo tuo semper intentos, quae noxia esse demonstrat, fugere, et quae utilia saluti, fideliter apprehendere.

28. *Oct. Ss. Simonis et Judae App.* Deus, qui beatorum Apostolorum tuorum Simonis et Judae

20. *Aug. S. Bernardi.* Deus, qui ex ore beati Bernardi rivos sapientiae salutaris ad irriganda populi tui pectora deduxisti: concede propitius, ut extincto in nobis mundanae sapientiae gustu, te solum verae sapientiae fontem sitiamus.

24. *Aug. S. Bartholomaei Ap.* Deus qui per beati Apostoli tui Bartholomaei ministerium eripiens nos de potestate tenebrarum transtulisti in regnum Filii dilectionis suae: concede quaesumus, ut, quibus inest fidei justificatio, ejus intercessione non desit gratiae plenitudo.

28. *Aug. S. Augustini.* Amor qui semper ardes et nunquam extingueris, charitas Deus noster: accende nos igne tui amoris, et praesta, ut exemplo beati Augustini ex omni corde tibi inhaerentes in terris, aeternum te ipso frui mereamur in coelis.

29. *Aug. Decoll. S. Joannis B.* Deus, qui beatum Joannem Filii tui morientis aeque ac nascentis praecursorem esse voluisti: concede, ut, sicut ille veritatis et justitiae martyr occubuit, ita nos pro veritate et justitia ad mortem usque certemus.

Dom. 1. Sept. Ss. Angelorum Cust. Offerant tibi, Domine, Angeli tui preces nostras: et ut exaudiantur a te, da nobis eos reverenter observare, et vocem eorum fideliter audire.

8. *Sept. Nativit. B. V. M.* Deus, qui in beneplacito tuo mundum tibi reconciliare voluisti: praesta, quaesumus, ut, qui Nativitatem sanctae Dei Genitricis celebramus, ipsam, quam Filius ejus operatus est salutem, Matris intercessione consequamur.

14. *Sept. Exaltat. S. Crucis.* Domine Deus, qui discipulis tuis mortem tuam significans, te exaltatum a terra omnia tracturum ad te ipsum praenuntiasti: da nobis, quaesumus, tibi crucifixo configurari, et nonnisi in ipsa Cruce gloriari.

21. *Sept. S. Matthaei Ap.* Deus, qui ad poenitentiam peccatores ineffabili misericordia vocare dignaris: da nobis exemplo et intercessione beati Matthaei, quem de publicano Apostolum fecisti, ut te relictis omnibus sequi, tibi firmiter adhaerere, et te libera voce ac bonis operibus confiteri valeamus.

29. *Sept. S. Michaelis Archang.* Deus, qui nobis panem Angelorum in hoc saeculo manducare tribuis: concede propitius, ut eorum et puritatis in terris, et beatitudinis in coelis participes esse mereamur.

30. *Sept. S. Hieronymi.* Deus, qui beatum Hieronymum multiformis scientiae fluentis satiare voluisti, ut scriptorum suorum splendore multarum sal et lumen fieret animarum: pietatem tuam exoramus, ut tanti Doctoris precibus adjuti, scientiam Sanctorum assequi valeamus.

Dom 1. Oct. S. Rosarii B. V. M. Domine Jesu Christe, qui intercedente beatissima Matre tua nos de hostibus fidei triumphare fecisti: vota nostra clementer exaudi, et illorum mentes illumina, ut idem nobiscum sapientes, te veraciter colant, toque affectu diligant.

4. *Oct. S. Francisci Assis.* Deus, qui te parvulis et humilibus revelare non dedignaris: tribue quaesumus, imitatione beati Francisci, et stultam hujus mundi dediscere sapientiam, et solum ediscere Jesum Christum crucifixum.

18. *Oct. S. Lucae Ev.* Deus, qui beato Lucae corporum medico Evangelium Filii tui nobis tradendum credens, eum etiam fecisti medicum animarum: fac nos, salubri verbo tuo semper intentos, quae noxia esse demonstrat, fugere, et quae utilia saluti, fideliter apprehendere.

28. *Oct. Ss. Simonis et Judae App.* Deus, qui beatorum Apostolorum tuorum Simonis et Judae

praedicatione de incredulitatis tenebris nos vocasti in admirabile Evangelii lumen: fac, ut eorum intercessione crescamus in gratia et cognitione Domini nostri Jesu Christi.

1. *Nov. Omnium Sanctorum.* Deus, qui nos in hac fragilitatis ac lacrymarum valle militantes, triumphantis Curiae tuae patrocinio apud te gaudere concedis: praesta, quaesumus, ut eorum, quos amicos tuos demonstrasti, vestigiis inhaerentes, eosdem apud te efficaces intercessores habere mereamur.

2. *Nov. Omnium fidd. Defunctorum.* Deus, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium: praesta propitius, ut animae famulorum famularumque tuarum a nostrae mortalitatis tenebris absolutae in perpetua cum Sanctis tuis luce laetentur.

4. *Nov. S. Caroli Borr.* Deus, qui singulari providentia ad restituendam Ecclesiae disciplinam et emendandos hominum mores beatum Carolum Pontificem suscitasti: da sacra ejus intercessione, ut, sicut ille forma factus gregis ex animo vigili solicitudine tibi complacuit, ita et nos zelo domus tuae aestuantes, morum integritate tibi placeamus.

22. *Nov. Praesentat. B. V. M.* Deus, qui beatae Mariae sanctum virginitatis propositum infudisti: praesta, quaesumus, ut ejus patrocinio illibatam mentis et corporis puritatem servare, et inter electos adscribi mereamur.

30. *Nov. S. Andreae Ap.* Omnipotens Deus, qui beato Andreae Apostolo tuo Christo configi in cruce tribuisti: praesta, quaesumus, eodem intercedente, ut terrena in nobismet ipsis desideria crucifigentes, tibi firmiter adhaerere valeamus.

De s. Martyre Pont. Omnipotens sempiterne Deus, qui in Sanctorum tuorum virtute es mirabilis: da nobis beati N. festivitatem congruis ho-

noribus et sedula imitatione celebrare, qui Filii tui Martyr et Pontifex, quod ministerio gessit, testimonio comprobavit, et quod praedicavit ore, confirmavit exemplo.

De s. Mart. non Pont. Praesta nobis, Domine, ut, sicut beatus Martyr tuus N. certavit bonum certamen fidei, et vitam aeternam apprehendit: ita et nos fortiter certantes in terris, cum ipso coronari mereamur in coelis.

De plur. ss. Mart. Deus, cujus gratia sancti Martyres N. et N. mundi nec blanditiis nec terroribus devicti sunt: da nobis, ut te solum diligentes, prospera mundi simul et adversa despiciamus.

De. s. Conf. Pont. Beati N. Pontificis suffragiis exoratus, ne permittas nos, Domine, animarum nostrarum detrimentum facere: pro quibus Pastor bonus vitam suam dedit in pretium.

De s. Dioecesis Episcopo. Sancti Patris nostri N. solemnia celebrantes, te Domine suppliciter obsecramus: ut ipsum apud tuam clementiam sentiamus habere patronum, quem nobis tua gratia providisti salutis aeternae ministrum.

De plur. s. Dioecesis Episcopis. Omnipotens sempiterne Deus, qui per Evangelicos labores Pontifices nostros N. et N., in fide nobis Patres, ad immortalem gloriam evexisti: da cordibus nostris dignam pro eorum commemoratione laetitiam, ut, quos pio amore amplectimur, eorum precibus adjuvemur.

De s. Doctore. Quaesumus, omnipotens Deus, ut, interveniente beato N. Confessore tuo atque Doctore, in ea quam praedicavit fide, mente et operibus stabiles maneamus.

De s. Conf. Presb. Domine Deus omnipotens, qui famulum tuum N., ut Sacerdotio tibi fungeretur, a populo segregasti: praesta, quaesumus, ut

ejus exempla sectantes, genus electum, regale Sacerdotium, populus acquisitionis effici mereamur.

De s. Conf. Abb. Omnipotens sempiterne Deus, terrena pro te calcantium merces magna nimis, da nobis exemplo et intercessione beati N. Abbatis, cujus solemnia celebramus, ut purificatis ab omni saeculi desiderio mentibus, te solo divites esse velimus.

De s. Conf. Monacho vel Eremita. Deus, qui nos admones, exemplo beati N. temporalia despicere, et ad aeterna festinare: da famulis tuis, ut, quae tibi placita cognovimus, ipso pro nobis intercedente, implere valeamus.

De s. Conf. Laico. In mundo pressuram habentibus, da nobis Domine, interveniente beato N., humilem in tua virtute fiduciam: ut Jesu Christi, qui mundum vicit, sanguine redemti, ipsi mundum vincamus.

De s. Virg. Mart. Deus, qui beatae N. tribuisti sanctam esse corpore et spiritu, et vitam suam dare pro dilectione tua: concede nobis, quaesumus, ut ejus exemplo tibi uni sive per vitam sive per mortem placere valeamus.

De s. Virg. non Mart. Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico constituisti: concede, ut, qui fidelis sponsae tuae N. puritatem humili veneramus obsequio, piae conversationis sequamur exemplo.

De s. Foem. Mart. Deus, qui dedisti victoriam in manu foeminae, da nostrae robur infirmitati: ut precibus et exemplo beatae Martyris N. per patientiam et humilitatem cunctis nos efficias hostibus fortiores.

De s. Foem. non Mart. Deus, qui non otiosos foro, sed laborantes in vinea remuneras: da nos bonis operibus abundare, ut cum beata N., quae panem otiosa non comedit, promissam operariis mercedem in fine recipiamus.

De s. Vidua. Deus, qui solus es bonum nostrum: da nobis beatae N. precibus avertere a mundanis oculos, et te unum jugiter intueri; ut creatura vilescat, et Creator in corde dulcescat.

In annivers. Dedic. Eccl. Deus, qui Ecclesiam unigeniti Filii tui sponsam vocare dignatus es: concede, ut omnis plebs in hoc Templo, cujus anniversarius dies celebratur, tibi collecta te timeat, te diligat, te sequatur; ut, dum jugiter per vestigia tua graditur, ad coelestia promissa, te duce, pervenire mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIONES DIVERSAE.

1. ACTUS FIDEI.

Domine Deus! firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae sancta Ecclesia catholica credenda proponit; quia tu Deus ea omnia revelasti, qui es aeterna veritas et sapientia, quae nec fallere nec falli potest. In hac fide vivere et mori statuo.

2. ACTUS SPEI.

Domine Deus! spero, per gratiam tuam remissionem omnium peccatorum, et post hanc vitam, aeternam felicitatem me esse consecuturum: quia tu promisisti, qui es infinite potens, fidelis, benignus et misericors. In hac spe vivere et mori statuo.

3. ACTUS CHARITATIS.

Domine Deus! amo te super omnia (et proximum meum propter te): quia tu es summum, infinitum et perfectissimum Bonum, omni dilectione dignum. In hac charitate vivere et mori statuo.

4. ACTUS CONTRITIONIS.

Domine Deus! poenitet me ex toto corde meo, quod te, summum ac infinitum Bonum, a me super omnia dilectum, unquam offenderim. Detestor omne peccatum, et firmiter propono, vitam meam emendare, et te non amplius offendere.

5. ACTUS OBLATIONIS.

Domine Deus! offero tibi omnia verba, cogitationes et opera ad majorem tui gloriam, in unione passionis ac mortis Jesu Christi Redemtoris mei.

6. PRO ECCLESIA.

Dirige Domine, quaesumus, Ecclesiam tuam dispensatione coelesti: ut, quae ante mundi principium in tua semper est praesentia praeparata, usque ad plenitudinem gloriamque promissam te moderante perveniat.

7. PRO PAPA.

Da, quaesumus Domine, famulo tuo N., quem pascendis agnis et ovibus tuis praefecisti, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis: ut sub tanto Pontifice crescat devotio sancta fidelium, et salus Ecclesiae gaudium sit et corona Pastoris.

8. PRO DIOECESI.

Ecclesiam tuam, Domine, sub sancti N. (sanctorum N. et N.) patrocinio supplicanten paterna pietate custodi: ut cujus (quorum) praedicatione plantata est et sudore (ac sanguine) irrigata, ejus (eorum) precibus crescat semper in cognitione et amore Domini nostri Jesu Christi.

9. PRO ANTISTITE DIOECESEOS.

Deus, qui famuli tui N. humeris onus imposuisti ipsis angelicis spiritibus formidandum: da ei robur majoris auxilii, ut pondus illud ad consummationem sanctorum et in aedificationem corporis Christi valeat te adjuvante sustinere.

10. PRO SACERDOTIBUS.

Deus, qui Unigenitum tuum dedisti summum Sacerdotem, eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam Sacerdotes ministros sociasti: quaesumus, ut omnes, qui vocatione tam sancta dignati sunt, Altari tuo devote ministrent, et se ipsos hostiam vivam et sanctam offerre mereantur.

11. PRO OMNI GRADU ECCLESIAE.

Exaudi nos, Deus humiliter deprecantes: ut, diffusa in singulos Ordines gratia tua, suum quisque ministerium fideliter adimpleat, et Ecclesia tua in omnium oculis gloriosa semper appareat.

12. PRO REGE.

Deus, qui facis mirabilia magna solus: praetende super famulum tuum N. Regem nostrum,

ac super totam Domum N., omnesque provincias ipsi commissas, spiritum gratiae tuae salutaris; et ut in veritate tibi complaceat, ei rorem benedictionis tuae clementer infunde.

13. PRO PATRIA.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus aeterna potestate dominaris: respice ad nostram benignus patriam, ut Rex juste imperando, et populus fideliter obediendo, ad gloriam tui nominis et regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent.

14. PRO REGNI HAEREDE.

Famulum tuum N., quaesumus Domine, coelesti pietate prosequere: ut, paterno succedens imperio, Ecclesiae protector, legum vindex, et populi pater appellari mereatur.

15. PRO DOMICILIO ET INCOLIS EJUS.

Custodi, quaesumus Domine, intercedente beata Maria semper Virgine cum omnibus Sanctis, locum istum et habitatores ejus, ac perpetuo guberna moderamine: ut et necessaria percipiant mortalis vitae solatia, et proficiant ad immortalitatis effectum.

16. PRO AMICIS.

Concede, quaesumus Domine, famulis tuis, quibus dedisti in nos charitatem, indulgentiam peccatorum, consolationem vitae, gubernationemque perpetuam: qua tibi fideliter servientes, ad tuam jugiter misericordiam pervenire mereantur.

17. PRO INIMICIS.

Deus, qui nobis praecepisti pro inimicis orare: dimitte, quaesumus, peccantibus in nos peccata sua, ut, tibi reconciliati, vera pace et charitate hic et in aeternum perfrui mereantur.

18. IN QUACUMQUE NECESSITATE.

Da, quaesumus Domine, populo tuo et mentem, qua tibi devotus existat, et intellectum, quo justa deposcat, et propitiationem tuam, qua pie desiderantibus quae sunt profutura concedas.

19. TEMPORE PESTIS (ET FAMIS).

Da nobis, quaesumus Domine, piae supplicationis effectum, et pestem (ac famem) propitiatus averte: ut mortalium corda cognoscant, et te indignante talia flagella prodire, et te miserante cessare.

20. TEMPORE BELLI.

Deus, qui conteris bella, et impugnatores in te sperantium potentia tuae defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam; ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

21. PRO PACE OBTINENDA.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sub-

lata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

22. PRO TENTATIS ET TRIBULATIS.

Deus, qui justificas impium, et non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut famulos tuos, de tua misericordia confidentes, coelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves; ut tibi jugiter famulentur, et nullis tentationibus a te separentur.

23. PRO INFIRMIS.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium: exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium; ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones.

24. PRO INFIRMO MORTI PROXIMO.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia, et vitae aeternae munera contulisti: respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti; ut in hora exitus illius absque peccati macula tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur.

25. PRO FIDE AUGENDA.

Deus veritas et lux sempiterna, qui fidem constituisti salutis humanae principium et omnis justitiae fundamentum: illumina per Spiritum tuum, et confirma corda nostra; ut credentes verbo tuo, et quod credimus confiten-

tes, reportemus finem fidei nostrae, salutem animarum.

26. PRO SPE IMPETRANDA.

Consolator in te sperantium, Deus: infunde cordibus nostris christianae spei donum, qua omnia de tua misericordia exspectantes, salutem nostram cum humili fiducia incessanter operemur.

27. AD POSTULANDAM CHARITATEM.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse: da cordibus nostris inviolabilem tuae charitatis affectum; ut desideria, de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari.

28. AD POSTULANDAM CONTRITIONEM.

Omnipotens et mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquae de petra produxisti. educ de cordis nostri duritia lacrymas compunctionis; ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque eorum te miserante mereamur accipere.

29. AD POSTULANDAM HUMILITATEM.

Deus, qui superbis resistis, et gratiam praestas humilibus: concede nobis verae humilitatis virtutem, cujus in se formam fidelibus Unigenitus tuus exhibuit; ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, sed potius gratiae tuae capiamus dona subjecti.

30. AD POSTULANDAM CONTINENTIAM.

Concede nobis, Domine, salutaris continentiae donum: et castificatis animabus nostris, corpora quoque sanctifica, quae membra Christi sunt et templum Spiritus sancti.

31. AD POSTULANDAM PATIENTIAM.

Domine Jesu, qui patientia tua nos docuisti et a poena liberasti: da nobis, quaesumus, donum patientiae in laboribus hujus vitae, sine quo non potest custodiri spes futurae.

32. PRO FELICI MORTE.

Deus, qui nos salutari providentia, ut a mortifero sopore excitares, diem et horam mortis nescire voluisti: concede nobis ita vigilare et orare omni tempore, ut absque peccati macula de hoc mundo exire, et in sinu misericordiae tuae requiescere mereamur.

33. PRO VIVIS ET DEFUNCTIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIONES CLERICALES.

ORATIO ADSPIRANTIS AD STATUM CLERICALEM.

Domine Deus, Pater coelestis, qui me indignum servum tuum usque adhuc misericordissime duxisti et ab innumerabilibus malis clementissime praeservasti! porrige mihi dexteram tuam paternam, ne aberrem de via, quam te duce ingressus sum. Conforta me, ne sicut parvulus fluctuans mundanis agitatus desideriis gratiam, quam mihi dedisti, vacuam reddam. Augeas, Domine, in me studium orationis et puritatis, solitudinis et mundi contemtus, ad quod me inter varias hujus saeculi illecebras trahens vocationem meam ad statum clericalem mihi benignissime indicasti. Da mihi perfectam tui cognitionem et amorem sincerum, ut te totis viribus amans me ipsum derelinquam et tibi soli vivam. Infunde cordi meo spiritum poenitentiae, ut omnia peccata mea et negligentias meas deplorare, et vitam vocationi meae convenientem agere valeam. Tibi me totum commendo: sanctifica me Pater, ne superbia elatus laedam puritatem animae meae, nec indignum reddam cor meum mansione Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui me miserum toties sanctissimo Corpore et Sanguine suo recreare dignatus est, cujusque Sacrificium tremendum suo tempore quotidie offerre intendo. Illumina intellectum meum, ut omnes vanas cogitationes devitans veritatem quaeram, firma et viva fide doctrinae tuae,

quam Ecclesia tua sancta catholica universo mundo te rectore praedicat, adhaeream, eamque verbo et opere profitear. Custodi me Domine, ne acedia et gula corpus, prava locutione linguam, mala auditione aures, incauto aspectu oculos, levi ingressu pedes, peccaminosa attrectatione manus meas contaminem, quo minus indignior reddar, Altari dilectissimi Filii tui incruento adstare, Sacramenta administrare, Evangelium annuntiare et Nomen tuum sanctissimum in Ecclesia invocare. Doce me animae meae curam habere, ut possim aliquando curam suscipere aliorum, nec aliis exemplum impietatis praebens in Ecclesia tua ad destructionem ambulem. Fac me tibi servire in sanctitate et justitia omnibus diebus, ut in sortem Filii tui electus toti mundo renuntiem, et mundo crucifixus, una cum omnibus, quas mihi credendas proposuisti, animis ad vitam perveniam sempiternam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO CLERICI
SOLA TONSURA INITIATI.

Domine Jesu Christe, qui initiasti nobis viam novam et viventem per velamen, id est, Carnem tuam in introitu sanctorum: da leges tuas in corde meo, et in mente mea superscribe eas, et iniquitatum mearum jam non recorderis amplius. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui,

et legem tuam in medio cordis mei; in quocunque enim loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus offero me ipsum. Domine Deus patrum nostrorum, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis mei, et semper in veneratione tui mens mea permaneat. Nunquam sit in me consilium discedendi a Deo vivo, nec te relinquam diligens hoc saeculum: sanctifica me in veritate, ut sim sanctus corpore et spiritu, utens hoc mundo tanquam non utens, et solummodo solicitus, quomodo placeam tibi, ut sis portio mea in terra viventium. Amen.

ORATIO CLERICI
IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTI.

Tu solus, Domine Jesu Christe, habes clavem David: aperis enim, et nemo claudit, claudis, et nemo aperit. Tu solus aperis sensum, ut intelligamus Scripturas. Tu solus in potestate imperas spiritibus immundis. Tu es lux mundi, quam qui sequitur non ambulat in tenebris. Confice me zelo domus tuae, ut stans jugiter ad ostium tabernaculi, et observans custodias Domini nocte et die, prohibeam profanari templum gloriae tuae. Revela oculos meos, ut legam in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum. Contere satanam sub pedibus meis velociter; et praesta, ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea

bona, et glorificent Patrem meum qui in coelis est. Amen.

ORATIO SUBDIACONI.

Domine Jesu Christe, qui sanctificari vis in iis, qui appropinquant tibi, et mundari eos praecipis, qui ferunt vasa Domini: continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Munda me ergo ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut perficiam sanctificationem meam in timore Dei. Non praesumam circumdare altare tuum, aut tangere vasa, quae ad usum sanctuarii pertinent, nisi lavero inter innocentes manus meas, et fulserint velut mundissimae manus meae; nequando irascaris indignatione contra me, et percutias me super temeritate. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO DIACONI.

Domine Jesu Christe, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo; qui, quos constituerent Apostoli tui super Leviticum opus, viros plenos Spiritu sancto et sapientia eligi voluisti; et qui me, non meis meritis, intra eorumdem Levitarum numerum dignatus es aggregare: da mihi et omnibus, qui tanto ministerio gloriantur, vigili sollicitudine pauperum tuorum curam habere, ut singulis, prout cuique opus est, dividantur bona tua; da Spiritum sanctum ad robur, quibus

commisisti consummandorum consortium Sacramentorum; da habere mysterium fidei in conscientia pura, et calceatos pedes in praeparatione Evangelii pacis: ut dignos nos facias in partem sortis Sanctorum in lumine. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO PRESBYTERI.

Gratias tibi ago, misericors Deus, quod me indignum peccatorem ad officium sacerdotale elegisti, meque medium inter te et populum fieri voluisti, ut tuam pro me peccatore et pro eodem populo tuo misericordiam exorarem. Certe angelicam puritatem et conversationem deberem habere ego peccator et impurus, cujus in manibus ad eloquiorum coelestium prolationem Corpus tuum, o Christe, de panis consecratur materia. Adjuva me, Deus omnipotens, ut huic officio et statui meo ad tui nominis laudem meamque et populi salutem praeesse et satisfacere valeam, quod tibi placitum semper cogitem et intendam, aliis vita et exemplo praeluceam, honorem tuum animarumque profectum quantum in me est promoveam, orationi vigilanter vacem, tibi Deo meo ardenter et libenter deserviam, spirituique potius intendam quam carni. Da, bone Jesu, ut corde et corpore mundus sim et pudicus in omni tempore, sim corde humilis, conversatione sanctus, temporalium contemtor facultatum, et a terrenorum solicitudine liber, quatenus tibi Deo meo expeditius vacem, atque Sacramentalis panis sumtione dignior efficiar;

ut in omnibus denique actionibus meis glorificeris, o Christe: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Omnipotens et misericors Deus, ad humilitatis meae preces benignus intende: et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiae tuae largitate coelestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum: ut, quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Dominum.

ORATIO PASTORIS.

Clementissime Domine Jesu Christe, Pontifex aeterne, qui me indignum famulum tuum ad functionem muneris apostolici vocare dignatus es, ut oves hujus ovilis salutaris pabulo doctrinae pascerem, et ecclesiae huic, quam tuo pretioso Sanguine redemisti, in his quae ad te sunt praeessem: horreo et toto corpore contremisco, quoties considero, quis ego sim et quid requirat onus, quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro una et sola anima mea non possum rationem reddere, pro toto hoc grege quomodo reddam? Quis ego infelix? Quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum illud depositum, quod tibi Sanguine proprio comparasti, contingat me negligentius custodire? Impares sunt sane humeri mei tanto oneri, si meas vires respiciam. Impeditioris et tardioris linguae sum, nescio loqui; puer sum, et regi quam regere magis idoneus. Obsecro igitur te Principem pastorum, qui nul-

lum vocare soles ad aliquod munus obeundum, cui non etiam eas largiaris dotes, quibus ornatus et instructus digne opus, ad quod vocatus est, perficere possit: me etiam inutile sarmentum insere in te, qui es vitis vera, ut fructus feram uberrimos. Da servo tuo cor docile, ut voluntatem tuam annuntiem populo tuo. Da mihi amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sim exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Verbum veritatis ne auferas ab ore meo, et da mihi gratiam, ut fervente spiritu eloquar illud, ne aures tantum feriat, sed cor penetret et fructum optatissimum afferat. Renova vitam meam, et mores meos in melius commuta, ne dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Tolle a me superbiam, iracundiam, sensualitatem et turpis lucri cupiditatem. Largire hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, justitiam, sanctitatem, et continentiam, ne ulli hominum scandalum praebeam aut blasphemandi verbum tuum occasionem offeram. Concede mihi spiritum, quo oves meas in visceribus tuis diligam, nec aliter tractem, quam mater unicum quem habet filium tractare soleat. Nulla infirmetur, quacum ego non infirmer. Nulla scandalizetur, et ego non urar. Libentissime mea omnia impendam, et superimpendar ipse pro animabus earum. Juva me, Domine, ut quod infirmum est consolidem, quod aegrotum sanem, quod confractum alligem, quod abjectum reducam, quod perierat requiram, quos credidisti mihi custodiam, et unus ex eis non pereat. Sanctifica eos in veri-

tate, o Sanctificator hominum benignissime, atque ab omnibus inimicis et adversitatibus corporis et animae custodi. Sic mihi obtemperent, sic me diligant, ut sit rationabile obsequium eorum, et vias Christianis dignas ambulent; ut ego et verbo et exemplo eis praecedendo, et illi me sequendo, pariter curramus ad te verum animarum nostrarum Pastorem, qui nos in loco pascuae collocabis, ubi vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO CONCIONATORIS.

Pater luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum tanquam a paterno fonte demanat: respice de solio majestatis tuae super me indignum famulum tuum, quem ad concionandi munus vocare dignatus es, et largire mihi Spiritum sapientiae et intellectus, qui mentem meam illustret ac linguam moderetur, ut, quae ad nominis tui gloriam et eorum qui me audituri sunt salutem dicturus sum, ferventi spiritu eloquar, quo non aures tantum feriant, sed cor penetrent, et fructum optatissimum adferant. Pelle a me arrogantium, et concede, ut praedicationis officium pura mentis intentione, ad tuam duntaxat gloriam respiciens, teque unum quaerens in omnibus, sedulo et constanter exerceam. Et ne, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar, fac ut primum miserear animae meae, et talem eam formem, qualem in tuo servitio esse oportet. Quid enim proderit mihi, si universum mundum lucratus

fuero, et animae meae fecero detrimentum? Atque hic tuam deprecor misericordiam, ut, quidquid hac ex parte a me peccatum est, clementer indulgeas, gratiamque tuam largiaris, quatenus, quod dicturus sum, opere exerceam, ut de eorum efficiar numero, qui, cum verbo et opere bene praesunt, duplici honore digni habeantur, apud te videlicet, qui laborem es remuneraturus, et apud homines, qui ex verbo et bonis operibus nos considerantes, et uti ministros tuos aestimantes, glorificent te Patrem, qui in coelis es. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO CATECHISTAE.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum: da, quaeso, ut igne tui amoris accensus opere et verbo parvulos ad te ducam, nec ullum illorum, quos mihi dedisti, perdam. Da mihi Spiritum sapientiae, ut illis pabulum doctrinae tuae coelestis fideliter praebeam, cujus lacte nutriti, mundi fugiant illecebras, et ad te, qui via, veritas et vita es, perveniant. Da mihi Spiritum amoris, ut, te largiente, parvulos tibi lucrifaciam, et ad perfectum tui amorem traham, quo inflammati te toto corde diligant, totis viribus mandata tua servent, et Sanguine tuo pretioso redemti, ad honorem et laudem nominis tui vivant. Da mihi, Domine, Spiritum timoris et discretionis, ne ullum unquam parvulorum verbo aut opere offendam et scandalizem, sed Angelorum mini-

steria imitans, te custode, ad vitam aeternam illos custodire valeam. Da mihi Spiritum lenitatis et patientiae, ut vere mitis et humilis corde omni cum mansuetudine parvulos semper recipiam, ut simul cum illis in coelestes habitationes recipi merear. Fac, quaeso Domine, ut efficiar et ego sicut parvulus, ut gregi tuo pusillo aggregatus nil quaeram nisi te, nil amem nisi te, dulcissime Jesu! Effunde super nos, Domine, benedictionem tuam coelestem, ut unacum parvulis, quos mihi credidisti, omnibus ante conspectum divinae Majestatis tuae in aeterna beatitudine comparere, te Agnum vivum, quocunque ieris, hymnos canens sequi, et cum Angelis faciem merear semper videre Patris: Quocum vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO ANTE CUJUSVIS SACRAMENTI ADMINISTRATIONEM.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui liquorem sacratissimi Sanguinis Jesu Christi Unigeniti tui, ejusdemque pretiosissimam mortem ac merita universa in sanctissimis Sacramentis velut in vasis aureis recondere, et mihi velut dispensatori tantorum mysteriorum concredere dignatus es: obsecro te per eadem divina mysteria, ut non respicias indignitatem et peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, cujus indignus sum minister, ejusque amore gratia tua me indignum faciat dignum, de peccatore justum et sanctum, qua-

tenus munda munde et sancta sancte tractare, indeque fructum illum specialem, quem tu in admirabilibus illis mysteriis digne utentibus conferre dignaris, mihi et aliis copiose valeam obtinere; per ipsummet, qui sese ac gratiam suam nobis in hisce vasis tam liberaliter communicat, Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

POST SACRAMENTI CUJUSVIS ADMINISTRATIONEM.

Domine Jesu Christe, dulcis amator et sanctificator animarum! gratias tibi ago pro omnibus donis et bonis mihi paterne concessis, praesertim, quod mihi indigno ministro tuo in hujus Sacramenti administratione tuis auxiliis assistere volueris. Obsecro te, si quid in munere meo sive per negligentiam sive per ignorantiam peccaverim, pro tua pietate et infinita misericordia supplere digneris. Commendo in tua amabilissima vulnera animas omnium fidelium, quos tuo pretioso Sanguine sanctificasti, hujus praecipue famuli tui (famulae tuae) animam, quam modo per gratiae tuae Sacramentalem infusionem sanctificasti: custodi eam a peccatis, et in tuo amore conserva, ut in virtutibus indies magis proficiat, atque ad vitam perducatur aeternam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ANTE ADMINISTRATIONEM s. BAPTISMATIS.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: haec nobis praecepta servantibis tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira; et puerum istum natura filium irae, quem ad inenarrabilem baptismi gratiam vocare dignatus es, in filium adoptionis regenera ex aqua, quae fiat in eo fons saliens in vitam aeternam.

Benedictus Deus, qui secundum misericordiam tuam magnam de tenebris transtulisti me in admirabile lumen tuum, et renovationis Sacramenti ministrum constituisti: fac me tot tantarumque gratiarum vere memorem, et praesta, ut cum puero isto rursum ipse abrenuntians Satanae, et quibus par est pietate et intentione baptizans eum, conjungam me Christo irrevocabiliter, et per ipsum, qui summus est Pontifex noster, et manibus nostris baptizat, offeram me semper tibi hostiam vivam, sanctam et beneplacentem. Amen

POST ADMINISTRATIONEM BAPTISMI.

Domine Jesu Christe, qui ingrediens mundum Patri tuo dixisti: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam! quique a parentibus tuis ipse in templo offerri voluisti: divinam legem inscribe pectori pueri istius, ut semper custodiat eam; et suscipe de parentum et patrinorum

manibus eum, quem salvum fecisti per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quemque offerunt tibi et tecum et per te sanctissimae Trinitati, non jam ut suum, sed ut fratrem et membrum tuum, templumque Spiritus sancti: fac ut ipsum rursus a te recipientes, quasi pretiosum depositum, cujus rationem strictam reddent tibi, enutriant et erudiant in omni bona disciplina, et per protectionem Angeli et Patroni ejus, sic crescat gratia et sapientia, ut Baptismi sui fidem et innocentiam conservet, et cum veste candida sanctitatis et lampade igne charitatis ardente, cum veneris, invenias eum.

Suscipe et sanctifica me ipsum, Domine Pater omnipotens, per Unigeniti tui virtutem, et cooperante Spiritu sancto perfice me tibi munus et holocaustum sempiternum, et per intercessionem B. V. Mariae, sancti Angeli mei custodis, s. Patroni et omnium Sanctorum da mihi vires intus et foris, ut non modo dicam sed et velim facere voluntatem tuam in omnibus, et non tantum dicar Christianus et Sacerdos, sed et semper inveniar. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO AUDITURI CONFESSIONES.

℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias me a facie tua. ℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui. ℟. Et Spiritu principali confirma me.

℣. Docebo iniquos vias tuas. ℟. Et impii ad te convertentur.

℣. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae. ℟. Et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum, propter magnam tuam misericordiam, ministrum fecisti officii sacerdotalis, et mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus et ad poenitentiam revertentibus. Ideoque Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quique non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis et famulabus tuis, qui ad poenitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, quo resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur; ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

POST CONFESSIONES AUDITAS.

Domine Deus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant: ne despicias sacrificium spiritus contribulati, cordis contriti et humiliati, quod offerunt tibi poenitentes isti, jurantes et statuentes custodire omnia judicia justitiae tuae; sed confirma hoc, quod operatus es in nobis, solvens tu ipse in

coelis, quod in nomine tuo solvi in terris, et perficiens magis ac magis in timore et amore tuo sanctificationem eorum, quos dudum errantes Pastor solicite quaesiisti, et in humeris tuis reduxisti, ne fiant novissima eorum, revertente diabolo illuc unde exivit, pejora prioribus. Vide, Pater, desolationem cordis eorum; misericordia moveare super eos; cito profer et indue illos stolam primam, ut mereantur epulari et manducare tecum. O qui gaudetis, Angeli Dei in coelis, super his peccatoribus poenitentiam agentibus, orate continuo pro ipsis, ut in novitate vitae abulent. Orate etiam pro me, ut defectus a me commissi mihi remittantur, et ut auditis non maculer, sed considerans memet ipsum semper vigilem in orationibus, quoniam ipse circumdatus sum infirmitate. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ANTE ADMINISTRATIONEM EXTREMAE UNCTIONIS.

Domine Jesu Christe, qui habes claves vitae et mortis, respice propitius super fratrem nostrum, propter quem mortuus es, quique inducit me licet indignum Presbyterum Ecclesiae tuae, ut, sicut jussisti, orem super eum ungens oleo in nomine tuo. Fac ergo, Domine, ut oratio fidei salvet eum. Tu ipse, Domine, allevia eum, et si in peccatis sit, omnia remitte illi, ut sive infirmus sive sanus sive etiam mortuus, laudet et amet te semper.

Da et mihi ipsi, Domine, intimum verae pietatis affectum, ut infirmo isti compatiar,

et oratio mea ex viva fide procedat; intime doleam pro peccatis, quae diversis sensibus, quos ungo, commisit, et pro meis etiam dolore intrinseco tactus sim. Excitem illum, te ipso per me loquente, ad sacrificium cordis contriti et humiliati, et ad ipsummet vitae suae sacrificium. Audiat me, et ipsi adstantes pro illo orantes misereantur animae suae, placentes Deo et ab omni continentes peccato pretiosam sibi mortem praeparent, in fide et unione mortis Domini nostri Jesu Christi. Amen.

POST ADMINISTRATIONEM EXTREMAE UNCTIONIS.

Unctio tua, Domine, unctio Spiritus sancti per diffusam charitatem tuam in corde istius infirmi, maneat semper in eo, et doceat eum dolores suos, vitam et mortem suam tibi consecrare et offerre in unione passionis et mortis Domini nostri Jesu Christi; et si ad vitam revoces eum, fac, ut te solum cogitet, desideret; et moriens audiat a te: „Hodie mecum eris in paradiso," ubi te possideat in aeternum.

Eadem etiam unctio gratiae tuae, Domine, semper sit et maneat in me, doceatque me ipsum sic vivere, quasi mox moriturus essem, ideoque semper vigilem, ut oculi mei nihil profani videant, aures nihil mali audiant, nares nulli sensualitati indulgeant, os ab omni maledicto et gula abhorreat, manus nihil pravi agant, pedes nullam erroris ingrediantur viam, pangam denique foedus cum universis meis sensibus, imo cum corde meo et anima mea, ut ab

omni specie mala abstineam, et in omnibus faciam voluntatem tuam beneplacentem et perfectam. Veniens enim venies, qua hora non puto, et forte citius hoc infirmo ad tremendum tribunal tuum vocabis me. Domine Jesu, miserere mei; propitius esto mihi peccatori, et per tuam passionem fac me semper paratum esse, mori in te, et aeternum possidere te ipsum in coelis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

AD RENOVANDAM GRATIAM ORDINATIONIS.

Omnipotens Deus, qui non meis meritis sed unica gratia tua posuisti in me verbum reconciliationis, et pro Christo legatione et sacerdotio ejus fungi tribuisti: resuscita in me (et in omnibus ministris tuis) gratiam quam dedisti nobis cum impositione manuum Presbyterii. Fac me dignum tuis altaribus ministrum, fidelem et prudentem dispensatorem mysteriorum tuorum, tamque sanctum, irreprehensibilem et placentem tibi mediatorem inter te et populum, ut semper placem te et exaudias me. Combure me zelo gloriae tuae ac meae et omnium hominum salutis (eorum inprimis, quos commisisti mihi). Attendam lectioni, exhortationi et doctrinae; mundum odiam et fugiam, diligam vero solitudinem; duc animam meam in eam, ibi loquere ad cor meum, et doce me quid primus faciam et alios doceam. Utque mihi et illis necessarium gratiae tuae auxilium obtineam, fac me virum desideriorum et orationis continuae.

Sacrificia mea consumantur et placeant tibi, Domine, quotidie; jugi mortificatione carnis et spiritus immoler ipse supra sacrificium, gestemque in pectore meo judicium omnium in conspectu tuo semper, ut mihi et illis, quid-quid scis opus esse, concedas. Per summum Pontificem nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

GEMITUS ANIMAE
PRO
CONVERSIONE SACERDOTUM
ABERRANTIUM A PIETATE.

Benignissime Jesu, tradite sacerdotibns et impiis ad illudendum et flagellandum et crucifigendum: Sanguis quem effudisti clamat ad te, ut intuearis et respicias opprobrium Ecclesiae, quam dilexisti et pro qua te ipsum tradidisti, ut illam sanctificares et exhiberes tibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus, et egressus est a sponsa tua decor ejus, propter peccata Prophetarum ejus et iniquitates Sacerdotum ejus. Conjuratio enim ipsorum in medio ejus; sicut leo rugiens rapiensque praedam, animas devorant, contemnunt legem tuam, polluunt Sanctuaria tua, inter sanctum et profanum non habent distantiam, a sabbatis tuis avertunt oculos suos, et coinquinaris in medio eorum. Omnes isti aes et stannum

et ferrum et plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. Non circa altaris officia dediti, sed contemto templo et sacrificiis neglectis, implicant se negotiis saecularibus, et festinant participes fieri conviviorum, ludorum et scurrilitatis, nihil habentes dignum Sacerdotio. Mensa, quam parasti in conspectu nostro adversus eos, qui tribulant nos, sit ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum; quia offerunt panem pollutum, ignem alienum super Altare tuum. Quanta malignatus est inimicus in sancto? Quid est, quod dilecti tui in domo tua faciant scelera multa? O mi Jesu! demoliti sunt vineam tuam, conculcaverunt partem tuam, dederunt portionem tuam desiderabilem in desertum solitudinis, retrahunt homines a Sacrificio, scandalizant plurimos in lege, et per eos nomen tuum jugiter tota die blasphematur in Gentibus: dedisti eos contemtibiles et humiles omnibus populis, et ecce, iniquitas eorum facta est confusio populi tui; etenim propter eos facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt. Domine judex noster, Domine legifer noster, Domine rex noster, quando respicies? Restitue Ecclesiam tuam a malignitate eorum, a filiis Belial sponsam tuam: leva manus tuas in superbias eorum; et quia gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuae, imple facies eorum ignominia, ut quaerant nomen tuum. Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam; converte manum tuam ad eos, et excoque ad purum scoriam eorum, et aufer omne stannum eorum, et restitue ministros

tuos, ut fuerunt prius, et christos tuos, sicut antiquitus. Ingrediatur in eis ignis a Domino, ignis, inquam, non comburens sed illuminans, non consumens sed lucens. Esto illis quasi ignis conflans et quasi herba fullonum. Purga filios Levi, et cola eos quasi argentum. Sint tibi offerentes sacrificia in justitia; et qui hactenus fuerunt ovibus tuis odor mortis in mortem, sint ipsis odor vitae in vitam. Omnes, qui viderint eos, cognoscant illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Amen.

DEVOTIONES
ERGA SS.
EUCHARISTIAE SACRAMENTUM.

ORATIO VEN. THOMAE A KEMPIS.

O dulcissime Domine Jesu, quanta est dulcedo devotae animae tecum epulantis in convivio tuo, ubi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu unicus Dilectus ejus, super omnia desideria cordis ejus desiderabilis! Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. Sed ubi est haec devotio? ubi lacrymarum sanctarum copiosa effusio? Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere; habeo enim te in Sacramento vere praesentem, quamvis aliena specie occultatum.

Nam in propria et divina claritate te conspicere oculi mei non possent, sed neque totus mundus in fulgore gloriae majestatis tuae subsisteret. In hoc ergo imbecillitati meae consulis, quod te sub Sacramento abscondis. Habeo vere et adoro, quem Angeli adorant in coelo; sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie et sine velamine. Me oportet contentum esse in lumine verae fidei, et in ea ambulare, donec aspiret dies aeternae claritatis et inclinentur umbrae figurarum. Quum autem venerit quod perfectum est, cessabit usus Sacramentorum, quia Beati in gloria coelesti non egent medicamine sacramentali: gaudent enim sine fine in praesentia Dei, facie ad faciem gloriam ejus speculantes; et de claritate in claritatem abyssalis Deitatis transformati, gustant Verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio et manet in aeternum.

Memori horum mirabilium, grave mihi fit taedium etiam quodlibet spirituale solatium; quia, quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco omne quod in mundo conspicio et audio. Testis es tu mihi, Deus, quod nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare, nisi tu Deus meus, quem desidero aeternaliter contemplari. Sed non est hoc possibile, durante me in hac mortalitate: ideo oportet, ut me ponam ad magnam patientiam, et me ipsum in omni desiderio tibi submittam. Nam et Sancti tui, Domine, qui tecum jam in regno coelorum exultant, in fide et patientia magna, dum viverent, adventum gloriae tuae exspectabant. Quod illi credide-

runt; ego credo; quod illi speraverunt, ego spero; quo illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido. Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus Sanctorum. Habeo etiam libros sanctos pro solatio et vitae speculo, atque super haec omnia sanctissimum Corpus tuum pro singulari remedio et refugio.

Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita: in carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet et lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis et corporis, et posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem: nam verbum Dei lux animae meae, et Sacramentum tuum panis vitae. Haec possunt etiam dici mensae duae, hinc et inde in gazophylacio sanctae Ecclesiae positae: una mensa est sacri Altaris, habens panem sanctum, id est, Corpus Christi pretiosum; altera est divinae legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta Sanctorum, perducens.

Gratias tibi, Domine Jesu, Lux lucis aeternae, pro doctrinae sacrae mensa, quam nobis per servos tuos Prophetas, Apostolos, aliosque doctores ministrasti. Gratias tibi, Creator et Redemtor hominum, qui, ad declarandam toti mundo charitatem tuam, coenam parasti magnam, in qua, non agnum typicum, sed tuum sanctissimum Corpus et Sanguinem proposuisti manducandum; laetificans omnes

Fideles convivio sacro et calice inebrians salutari, in quo sunt omnes deliciae paradisi, et epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suavitate feliciori.

O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum Majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere et caeteris ministrare! O quam mundae debent esse manus illae! quam purum os! quam sanctum corpus! Quam immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem totius ingreditur auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe Christi accipit Sacramentum.

Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi Corpus solent intueri: manus purae et in coelum elevatae, quae Creatorem coeli et terrae solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: Sancti estote, quia Ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus (*vel* suscipere intendimus), digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus, et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de caetero deservire. Amen.

SALUTATIO Ss. ALTARIS SACRAMENTI.

Salve nobilissimum Corpus et pretiosissime Sanguis Domini mei Jesu Christi sub hac panis specie vere praesens! Te adoro tali cultu et devotione, qua novem Angelorum chori te adorant et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, quod tu, Dominus meus ac Deus meus, vere hic continearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera Hostia in Cruce immoláta. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: et cum affectu totius universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere digneris.

Salve pie Jesu, Verbum Patris, splendor gloriae, fons pietatis, salus mundi, sacra Hostia. Salve Jesu Christe, princeps pacis, janua coeli, panis vivus, Virginis partus, vas Deitatis.

Credo firmissime, quod tu, Deus meus, hic praesens sis, meque ex hoc Sacramento intuearis atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum Caro et Sanguis tuus, verum etiam Deitas et Humanitas tua contineantur. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam; laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam; be-

nedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Jesu, quod dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O Jesu Christe, dulcis et unicus amor meus! oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum humiliter coram te prostratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem. Per ineffabilem amorem praedulcissimi Cordis tui miserere mei, et recipe me in gratiam tuam, propter gloriam nominis tui.

O Pater amantissime! offero tibi hunc dilectum Filium tuum in perpetuae laudis tuae holocaustum, et in propitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice, quaeso, in faciem Christi tui; memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostis pendit in Cruce, et miserere nostri.

Commendo me tibi, o bone Jesu; intra mellifluum Cor tuum absconde me, nec permitte, me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam, amplectendi semper et in omnibus, nunc et in hora mortis, tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

HYMNI SEPTEM

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO, CUM ORATIONIBUS.

I.

Pange lingua gloriosi Corporis mysterium, Sanguinisque pretiosi, Quem in mundi pretium Fructus ventris generosi Rex effudit gentium!

Nobis datus, nobis natus Ex intacta Virgine, Et in mundo conversatus Sparso verbi semine, Sui moras incolatus Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae Recumbens cum fratribus, Observata lege plene Cibis in legalibus, Cibum turbae duodenae Se dat suis manibus.

Verbum-Caro panem verum Verbo Carnem efficit, Fitque Sanguis Christi merum: Et si sensus deficit, Ad firmandum cor sincerum Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum Veneremur cernui: Et antiquum documentum Novo cedat ritui: Praestet fides supplementum Sensuum defectui.

Genitori Genitoqne Laus et jubilatio, Salus, honor, virtus quoque Sit et benedictio: Procedenti ab utroque Compar sit laudatio. Amen.

Antiphona. O sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur!

℣. Panem de coelo praestitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

II.

Cessant figurae: non litat impares Impar Sacerdos amplius hostias; Jam Pontifex fit Numen ipsum, Seque sibi Deus Agnus offert.

Vitam cruentus qui semel obtulit, Se non cruentum jugiter immolat; Mactatus aris, et renascens Perpetuo, moriendo vivit.

(Ad grande munus nos Deus erigit, Quos ungit intus sacrificos sibi: Pondus caduci sustinemus Angelicis humeris tremendum.

O quam stupendae quas agimus vices! Quem prona coeli curia suscipit, Nostris ad aras imperatis Se docilis Deus ipse sistit.)

Christum, Sacerdos, coelitus evocas: Per te creatur, qui creat omnia: Immotus, orbem qui gubernat, Se tibi dat facilem moveri.

Non impotenti criminis arbiter verbo resolvis ferrea vincula: Quas fers magistra voce, Numen Ecce sibi putat esse leges.

Laus summa Patri, summaque Filio; Sit sancte compar laus tibi Spiritus, Quo Christus aris per ministros Hostia stat simul et Sacerdos. Amen.

Antiph. Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuril; et qui credit in me, non sitiet unquam.

℣. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. ℟. Labiis exultationis laudabit os meum.

Oremus.

Deus, qui Unigenitum tuum dedisti summum Sacerdotem, eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam sacerdotes ministros sociasti: quaesumus, ut omnes, qui vocatione tam sancta dignati sunt, Altari tuo devote ministrent, et se ipsos hostiam vivam et sanctam offerre mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

III.

Sacris solemniis juxta sint gaudia, Et ex praecordiis sonent praeconia: Recedant vetera, nova sint omnia, Corda, voces et opera.

Noctis recolitur Coena novissima, Qua Christus creditur agnum et azyma Dedisse fratribus juxta legitima Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis, Corpus Dominicum datum discipulis, Sic totum omnibus, quod totum singulis Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus Corporis ferculum, Dedit et tristibus Sanguinis poculum, Dicens: Accipite quod trado vasculum, Omnes ex eo bibite.

Sic Sacrificium istud instituit, Cujus officium committi voluit Solis Presbyteris, quibus sic congruit, Ut sumant, et dent caeteris.

Panis Angelicus fit panis hominum; Dat panis coelicus figuris terminum: O res mirabilis! manducat Dominum Pauper, servus, et humilis.

Te, trina Deitas unaque, poscimus: Sic nos tu visita, sicut te colimus: Per tuas semitas duc nos, quo tendimus, Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Antiph. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

℣. Panem coeli dedit eis. ℟. Panem Angelorum manducavit homo.

Oremus.

Deus, cujus visione satiantur Angeli et Beati: da nobis alimonia tui pretiosi Corporis et Sanguinis sic digne et laudabiliter pasci, ut fruitionem cum illis possimus perenniter adipisci. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IV.

Sic amas, ut, quos amasti, Christe nunquam deseras. Ipse Corpus das in escam, Et propinas Sanguinem, Jamque factus lactis instar, Ne cibus nos opprimat.

Qualis ista fraus amoris, Ut reis indulgeas! Non vides, sentis, nec audis, Et manes immobilis; Talis astris imperantem An decet status Deum?

Non ut olim monte sancto Hic Deus nos territas; Inter ignes non minaris, Hic amas

mitescere. Quam bonus prudensque celas Hic tuam praesentiam!

Pauperes nos, nos pusillos, Nos ab astris exules, Ut reducas nos Olympo, Nosque reddas divites, Ipse factus es pusillus, Pauper, exul, indigens.

Ventre natum virginali Corpus olim sumseras; Hoc Deo plenum redonas Ampliori foenore: Ter, quater nos o beati Tanta per commercia!

Mensa qualis hic paratur, Si quis intus esurit! Assides conviva nobis Ipse tu convivium; Fons salutis, si quis aeger; Si flet, hic solatium.

Laus suprema sit Parenti, Qui creavit omnia, Filioque, qui redemit Morte nos volens sua: Par et illi, cujus almo Recreamur halitu. Amen.

Antiph. Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

℣. Cibavit eos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra melle saturavit eos.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam pretioso Corpore et Sanguine tuo mirabiliter reficis: infunde in eam Spiritum vivificantem, ut coelestis cibi participatione, de te vivens in terris, tecum vivere mereatur in coelis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

V.

Verbum supernum prodiens, Nec Patris linquens dexteram, Ad opus suum exiens, Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo Suis tradendus aemulis, Prius in vitae ferculo Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie Carnem dedit et Sanguinem, Ut duplicis substantiae Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium, Convescens in edulium, Se moriens in pretium, Se regnans dat in praemium.

O salutaris Hostia, Quae coeli pandis ostium: Bella premunt hostilia, Da robur, fer auxilium.

Uni Trinoque Domino Sit sempiterna gloria: Qui vitam sine termino Nobis donet in patria. Amen.

Antiph. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

℣. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. ℟. Comedite et bibite et inebriamini.

Oremus.

Deus, qui nos per divinissimi Sacramenti Corporis et Sanguinis tui veneranda commercia unius summae divinitatis participes efficis: praesta quaesumus, ut, sicut tuam cognoscimus veritatem, sic eam dignis moribus assequamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

VI.

Non qualis olim vertice legifer Fumante sedit, cum timidos mori Nigrantis e nimbo procellae Jussa tonans populos doceret.

Adeste gentes: fulmineum jubar Velante signo providus occulit. Venite: nunc sacros amoris Totus amor jaculatur ignes.

An ulla quondam tam facili Deo Potita gens est? dicite, saecula; Qua sole mundus claret orto, Quaque tepet fugiente, dicat.

O gente quavis natio grandior, Charumque coelo, Christiadae, genus, Illamne, qua nos Christus arsit, Usque adeo caluisse flammam!

Devota Patri Filius hostia Mox offerendus, se prius obtulit, Et, qua litaret funeratus, Nos docuit reparare vitam.

Aris renascens nomine duplici, Verus Sacerdos veraque victima, Oblatus offert, et cruorem Ipse suum sine caede fundit.

Quid in scelestos, o hominum Pater, Libras ab alto fulmina filios? Mitescit: exarmat minacem Cuncta pians cruor ille dextram.

Laus summa Patri, summaque Filio, Qui se Sacerdos immolat hostiam: Quo sacra flammis ardet ara, Spiritus, et tibi laus in aevum. Amen.

Antiph. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

℣. Justi epulentur et exultent. ℟. Et delectentur in laetitia.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salutis nostrae pretium sacri Corporis et Sanguinis

tui mysteria reliquisti: da nobis te ipsum, quem nunc videmus in aenigmate, in coelesti gloria perenniter intueri. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

VII.

Adoro te devote, latens Deitas, Quae sub his figuris vere latitas. Tibi se cor meum totum subjicit, Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur, Sed auditu solo tuto creditur. Credo, quidquid dixit Dei Filius; Nil hoc veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola Deitas: At hic latet simul et humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor: Deum tamen meum te confiteor. Fac me tibi semper magis credere, In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini, Panis vivus, vitam praestans homini! Praesta meae menti de te vivere, Et te illi semper dulce sapere.

Pie Pellicane, Jesu Domine! Me immundum munda tuo Sanguine, Cujus una stilla salvum facere Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio, Oro, fiat illud, quod tam sitio: Ut te revelata cernens facie, Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Antiph. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

℣. Edent pauperes, et saturabuntur.

℟. Vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Oremus.

Domine Deus, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem, in Sacramento amoris tui nobiscum remanere voluisti: concede, quaesumus, ut te velatum adorantes in terris, revelata facie contemplari mereamur in coelis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

LITANIAE

DE VENERABILI SACRAMENTO.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Panis vivus, qui de coelo descendisti,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Juge Sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
} Miserere nobis.

Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima Dominicae Passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem.
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum Sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum Sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione, Libera nos Domine.
A concupiscentia carnis, Libera.
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam charitatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in Altari reliquisti,
Per quinque Vulnera hujus tui Corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas,
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere, et conservare digneris,
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni haeresi, perfidia, ac cordis caecitate liberare digneris,
Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Ut nos exaudire digneris,

Fili Dei: Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

LITANIAE SACERDOTALES

DE VENERABILI SACRAMENTO.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater de coelis Deus, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, eumque pro nobis carnem sumere et crucem subire fecisti:

Miserere mei, ut eum totis visceribus et intimis amoris affectibus excipiam, et meipsum totum tibi reddam, nec mihi, sed tibi vivam.

Fili Redemtor mundi Deus, qui ex infinita charitate opus nostrae redemtionis suscipiens, in tempore de Virgine Maria nasci, et in Sacramento Corporis et Sanguinis tui novo et admirabili modo existere, et usque ad consummationem saeculi nobis adesse voluisti:

Miserere mei, ut tam ineffabili gratiae et charitatis tuae beneficiis nunquam ingratus inveniar.

Spiritus sancte Deus, qui mysterium incarnationis Domini nostri Jesu Christi mirabili virtute divinitatis operatus es in beata Maria Virgine, eam ineffabili modo praeparans et sanctificans, ut dignum Filii Dei habitaculum effici mereretur:

Miserere mei, ut ego quoque eumdem Dominum ac Deum meum semper sincero affectu et puro corde in hoc Sacramento suscipere, et deinceps sanctis operibus palam ostendere valeam.

Sancta Trinitas unus Deus, qui pro infinita clementia tua elegisti me in ministrum tuum, et de stercore erigens pauperem, voluisti me fungi Sacerdotio, ut offeram tibi dona et sacrificia in odorem suavitatis:

Miserere mei, ut huic tam sublimi et sanctae vocationi dignis moribus respondeam, tibique puris manibus ac mundo corde semper immolem Sacrificium laudis, et reddam tibi Altissimo vota mea.

Jesu amabilissime, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos:

Miserere mei, ut relever pondere peccatorum meorum, quoniam sicut onus grave gravata sunt super me; et refice hoc pabulo coelesti esurientem ac deficientem spiritum meum.

Jesu benignissime, qui nos exhortaris ad sumendum te, dicens: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus; nisi manducaveritis Carnem filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:

Miserere mei, et da mihi hunc panem et potum digne sumere, ut non esuriam nec sitiam iterum, nec moriar in aeternum.

Jesu amantissime, qui desiderio desiderasti, antequam patereris, hoc Pascha manducare cum discipulis tuis:

Miserere mei, ut, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad te Deum vivum in hoc Sacramento desideret anima mea.

Jesu veracissime, qui te ipsum tradens in cibum et potum, dixisti: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; et: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur:

Miserere mei, ut non vacillem in fide et verbis oris tui: quia tu es ipsa Veritas, in cujus ore non est inventus dolus aut

mendacium; es quoque Deus summe potens, apud quem non est impossibile omne verbum.

Jesu mitissime, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem, reliquisti nobis juge monumentum immensi amoris tui, et fecisti in hoc Sacramento memoriam mirabilium tuorum, jubens nos hoc facere in tui commemorationem:

Miserere mei, ut semper memoria memor sim tui, ineffabilem potentiam ac bonitatem tuam hic relucentem venerer assidue, nec unquam obliviscar omnes retributiones tuas.

Jesu mansuetissime, qui nec Judam a consortio discipulorum et mensa tua in ultima coena excludere voluisti:

Miserere mei, ut ego, heu nimis indignus et infidelis servus tuus, nunquam cum Juda fiam reus Corporis et Sanguinis tui.

Jesu Sacerdos in aeternum, et Pastor bone, qui temetipsum in ara crucis obtulisti victimam; et posuisti animam tuam pro ovibus tuis, easque pascis ipso Corpore et Sanguine tuo:

Miserere mei, et, quia erravi sicut ovis quae periit, require servum tuum, et reporta me humeris tuis in ovile tuum, et pasce in loco pascuae, ubi me collocasti.

Sancta Maria, quae sola inter mulieres benedicta, Dominum coeli et terrae castissimis visceribus tuis concipere, ac mundo Salvatorem edere meruisti:

Ora pro me, ut et ego hunc ipsum Dominum Filium tuum pura mente in hoc Sacramento suscipere, aliisque dispensare valeam.

Omnes sancti Angeli et Archangeli, qui Dominum vestrum propter nos hominem factum humiliter adorastis, et jam regnanti in coelis ad ministerium semper adsistitis:

Orate pro me, ut hunc panem Angelorum digno semper honore tractem, et ejus frequenti usu sic confirmetur cor meum, ne unquam mihi praevaleant inimici mei.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, qui variis typis, figuris et umbris hujus Sacramenti et Sacrificii mysteria praefigurastis, et ad Messiam ingenti desiderio anhelastis:

Orate pro me, ut ego, non quidem umbram, sed rem ipsam; non figuram, sed ipsam veritatem; non Arcam, sed Sanctum Sanctorum; non oves aut boves, sed ipsum Dei Filium sancte tractare, ac puro corde complecti valeam.

Sancte Petre, Princeps Apostolorum, qui Christum Filium Dei vivi, non quidem ex instinctu carnis et sanguinis, sed revelatione aeterni Patris in coelis confessus es, atque pascendas ab eo oves et agnos, et claves regni coelorum accepisti:

Ora pro me, ut in hoc Sacramento viva et immobili fide verum Deum ac Dominum meum Jesum Christum, eumque vere ac realiter hic praesentem agnoscam et reverear.

Sancte Paule, qui factus ex lupo agnus, ex persecutore praedicator Evangelii, ex vase contumeliae vas electionis, et raptus in tertium coelum de coelestibus mysteriis singulariter edoctus fuisti, ideoque institutionem et legitimum usum hujus Sacramenti gravissimis verbis tradidisti:

Ora pro me, ut ego accessurus ad haec tremenda mysteria, prius serio juxta monitum tuum probem meipsum, solicite cavens, ne illa ad judicium et mortem suscipiam.

Sancte Joannes, dilecte Domini, qui in novissima Coena singularis tui erga Magistrum, ejusque vicissim erga te amoris fiducia recubuisti super pectus Domini, et inde suxisti fluenta coelestia, quae eructasti postea scribens Evangelium, et instar Aquilae sublimius evolans ad contuenda nobisque reseranda divini et incarnati Verbi mysteria:

Ora pro me, ut ego ad Christum Salvatorem meum in Sacramento praesentem magis trahar amore, quam deterrear timore; et sancta fiducia innitar super Dilectum meum, hauriamque in gaudio aquas vitae de fontibus Salvatoris.

Omnes sancti Apostoli, qui in ultima Coena, ab ipso Christo Salvatore Sacerdotes creati, potestatem accepistis consecrandi haec sacrosancta mysteria; sed praemissa pedum lotione de interiori munditie hic necessaria admoniti, et sic ad verum Agnum, id est, Corpus et Sanguinem Domini vestri manducandum admissi estis:

Orate pro me, ut et ego gratiam et munus Sacerdotii per vestros Successores manuum impositione mihi collatum debito honore venerer, et nonnisi mundata prius conscientia ad participanda haec divina mysteria veniam.

Omnes sancti Evangelistae, qui institutionem hujus Sacramenti illustri testimonio asseruistis:

Orate pro me, ut ego plena fide, spe viva, charitate fervida hoc magnum mysterium venerari semper ac participare valeam.

Omnes sancti Discipuli Domini, qui unacum primis fidelibus perseverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, ita, ut credentinm esset cor unum et anima una, nec quisquam aliquid suum esse diceret:

Orate pro nobis, ut et nos, qui de uno Pane et de uno Calice participamus, nonnisi in unione pacis et vinculo charitatis ad Sacramentum pacis et amoris accedamus; idipsum dicamus et sentiamus omnes, et sic unanimes uno ore honorificemus et glorificemus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum.

Omnes sancti Martyres, qui Christo regi Martyrum, Corpus et Sanguinem suum pro nobis in ara Crucis et communionis offerenti, corporis et sanguinis vestri victimam reddidistis:

Orate pro me, ut ego spirituali martyrio mortificem membra mea super terram, et oblaturus sacra mysteria, me ipsum prius

mactem Deo hostiam vivam, acceptabilem, sanctam, Deoque placentem, sacrificium justitiae, in odorem suavitatis.

Omnes sancti Pontifices et Confessores, Sacerdotes Domini, qui ut ministri Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei sancte functi estis Sacerdotio; et pro populo hostiam placationis frequenter obtulistis, eumdemque pane verbi et Sacramenti indefesse pavistis:

Orate pro me, ut et ego munere fidelis Sacerdotis strenue fungar, ne oblata salutis remedia sprevisse, vel gratiam Dei in vacuum recepisse forsan inveniar.

Omnes Sancti et Electi Dei, qui jam revelata facie in patria visione beata aspicitis et pleno jam ore manducatis Panem illum, quem nos nonnisi per speculum in aenigmate conspicimus, et aliena specie velatum accipimus. Vos enim felices portum tenetis, ad quem nos miseri tendimus, o quot inter tempestates et pericula! Viatico egemus, ut superemus. Viaticum hoc Christus est; via utique, veritas et vita, et unicum solatium peregrinationis nostrae.

Orate pro nobis, ut eo nos saltem sustentemur in via, donec vobiscum et nos satiemur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potemur in patria. Amen.

JUBILUS AMANTIS ANIMAE AD JESUM CHRISTUM.

1. Jesu dulcis memoria, dans vera cordi gaudia; Sed super mei et omnia Ejus dulcis praesentia.

2. Nil canitur süavius, Nil auditur jucundius, Nil cogitatur dulcius, Quam Jesus Dei Filius.

3. Jesu, spes poenitentibus, Quam pius es petentibus! Quam bonus es quaerentibus! Sed quid invenientibus?

4. Jesu dulcedo cordium, Fons vivus, lumen mentium, Excedens omne gaudium Et omne desiderium.

5. Nec lingua valet dicere, Nec littera exprimere; Expertus potest credere, Quid sit, Jesum diligere.

6. Jesum quaeram in lectulo Clauso cordis cubiculo; Privatim et in publico Quaeram amore sedulo.

7. Cum Maria diluculo Jesum quaeram in tumulo, Clamore cordis querulo; Mente quaeram, non oculo.

8. Tubam perfundam fletibus, Locum replens gemitibus; Jesu provolvar pedibus, Strictis haerens amplexibus.

9. Jesu Rex admirabilis, Et triumphator nobilis, Dulcedo ineffabilis, Totus desiderabilis!

10. Mane nobiscum Domine, Et nos illustra lumine, Pulsa mentis caligine, Mundum replens dulcedine.

11. Quando cor nostrum visitas, Tunc lucet ei veritas, Mundi vilescit vanitas, Et intus fervet charitas.

12. Amor Jesu dulcissimus Et vere süavissimus, Plus millies gratissimus, Quam dicere sufficimus.

13. Hoc probat ejus passio, Hoc sanguinis effusio, Per quam nobis redemtio Datur et Dei visio.

14. Jesum omnes agnoscite, Amorem ejus poscite, Jesum ardenter quaerite, Quaerendo inardescite.

15. Sic amantem diligite, Amoris vicem reddite, In hunc odorem currite, Et vota votis reddite.

16. Jesu, auctor clementiae, Totius spes laetitiae, Dulcoris fons et gratiae, Verae cordis deliciae.

17. Jesu mi bone, sentiam Amoris tui copiam, Da mihi per praesentiam Tuam videre gloriam.

18. Quam digne loqui nequeam, De te tamen ne sileam, Amor facit; ut audeam, Cum de te solum gaudeam.

19. Tua Jesu dilectio Grata mentis refectio, Replens sine fastidio, Dans famem desiderio.

20. Qui te gustant, esuriunt; Qui bibunt, adhuc sitiunt; Desiderare nesciunt, Nisi Jesum, quem diligunt.

21. Quem tuus amor ebriat, Novit, quid Jesus sapiat; Quam felix est, quem satiat! Non est, quod ultra cupiat.

22. Jesu, decus angelicum, In aure dulce canticum, In ore mel mirificum, In corde nectar coelicum.

23. Desidero te millies: Mi Jesu, quando venies? Me laetum quando facies? Me de te quando saties?

24. Amor tuus continuus Mihi languor assiduus, Mihi fructus mellifluus Est et vitae perpetuus.

25. Jesu, summa benignitas, Mira cordis jucunditas, Incomprehensa bonitas, Tua me stringit charitas.

26. Bonum mihi, diligere Jesum, nil ultra quaerere, Mihi prorsus deficere, Ut illi queam vivere.

27. O Jesu mi dulcissime, Spes suspirantis animae, Te quaerunt piae lacrymae, te clamor mentis intimae.

28. Quocunque loco fuero, Mecum Jesum desidero: Quam laetus, cum invenero! Quam felix, cum tennero!

29. Tunc amplexus, tunc oscula, Quae vincunt mellis pocula; Tunc felix Christi copula: Sed in his parva morula!

30. Jam quod quaesivi, video; Quod concupivi, teneo; Amore Jesu langueo, Et corde totus ardeo.

31. Jesus cum sic diligitur, Hic amor non extinguitur; Non tepescit, non moritur; Plus crescit et accenditur.

32. Hic amor ardet jugiter, Dulcescit mirabiliter, Sapit delectabiliter, Delectat et feliciter.

33. Hic amor missus coelitus Haeret mihi medullitus, Mentem incendit penitus, Hoc delectatur spiritus.

34. O beatum incendium, Et ardens desiderium! O dulce refrigerium, Amare Dei Filium!

35. Jesu flos Matris Virginis, Amor nostrae dulcedinis, Tibi laus, honor numinis, Regnum beatitudinis.

36. Veni, veni, Rex optime! Pater immensae gloriae! Affulge menti clarius, Jam expectatus saepius.

37. Jesu sole serenior, Et balsamo süavior, Omni dulcore dulcior, Caeteris amabilior.

38. Cujus gustus sic afficit, Cujus odor sic reficit; In quem mens mea deficit, Solus amanti sufficit.

39. Tu mentis delectatio, Amoris consummatio: Tu mea gloriatio, Jesu mundi salvatio.

40. Dilecte mi, revertere, Consors paternae dexterae: Hostem vicisti prospere, Jam coeli regno fruere.

41. Sequar te, quoquo ieris; Mihi tolli non poteris, Cum meum cor abstuleris, Jesu, laus nostri generis!

42. Coeli cives, accurrite! Portas vestras attollite! Triumphatori dicite: Ave Jesu, Rex inclyte!

43. Rex virtutum, Rex gloriae, Rex insignis victoriae, Jesu largitor veniae, Honor coelestis patriae!

44. Tu fons misericordiae, Tu verae lumen patriae, Pelle nubem tristitiae, Dans nobis lucem gloriae.

45. Te coeli chorus praedicat, Et tuas laudes replicat; Jesus orbem laetificat, Et nos Deo pacificat.

46. Jesus in pace imperat, Quae omnem sensum superat; Hanc mea mens desiderat, Et ea frui properat.

47. Jesus ad Patrem rediit, Coeleste regnum subiit; Cor meum a me transiit, Post Jesum simul abiit.

48. Ipsum sequamur laudibus, Votis, hymnis et precibus; Ut nos donet coelestibus Cum ipso frui sedibus. Amen.

LITANIAE

DE Ss. NOMINE JESU.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christi exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu Fili David,
Jesu Fili Mariae Virginis,
Jesu sanctissime,
Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu charissime,
Jesu clarior sole,
Jesu pulchrior luna,
} Miserere nobis.

Jesu splendidior stellis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator castitatis,
Jesu amator pacis,
Jesu amor noster,
Jesu speculum vitae,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu pater pauperum,
Jesu consolatio afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone Pastor ovium,
Jesu stella maris,
Jesu Lux vera,
Jesu Sapientia aeterna,
Jesu Bonitas infinita,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu rex Patriarcharum,
Jesu inspirator Prophetarum,
Jesu magister Apostolorum,
Jesu doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,

} Miserere nobis.

Jesu lumen Confessorum, Miserere nobis.
Jesu sponse Virginum, Miserere nobis.
Jesu corona Sanctorum omnium, Miserere nobis.
Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per Incarnationem tuam,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumcisionem tuam,
Per Dolores tuos,
Per Flagella tua,
Per Mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionen tuam,
Per Gaudia tua,
Per Gloriam tuam,
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

} Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Jesu Christe audi nos.
Jesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Benedic anima mea Domino. ℟. Et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto ejus.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui gloriosissimum Nomen Jesu Christi Filii tui Domini nostri fidelibus tuis summo suavitatis affectu fecisti amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes, qui hoc Nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

DEVOTIONES
ERGA
JESUM CHRISTUM
ET HUNC PASSUM ET CRUCIFIXUM.

GRATIARUM ACTIO s. BERNARDI PRO PASSIONE CHRISTI.

Gratias tibi, Pater, referat omnis lingua pro superabundantia charitatis tuae, qua unico Filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum tanquam fidelem Advocatum haberemus in coelis. Ecce enim gloria et honore coronatus, in dextera Majestatis tuae adsistit vultui tuo pro nobis: caro enim et frater noster est. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est; nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eodem satisfactionem receperis.

Et tibi, Domine Jesu, fortissime *zelotes*, quid gratiarum retribuam, ego homo pulvis et vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, et non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquis passionum demersisti, ut me totum extraheres de illis, et intraverunt usque ad animam tuam; nam et animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes.

Et ecce me duplici debito obligasti. Nam et pro eo, quod dedisti animam tuam, debitor tibi sum; et pro mea quidem anima bis

a te mihi data, semel in creatione et semel in redemtione, quod magis juste tibi reddam, quam ipsam, non habeo.

Pro tua autem pretiosa anima, ita contribulata, quid ab homine digne rependi possit, non invenio. Nam etsi coelum et terram et omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certe nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingere possem. Ut autem ipsum, quod et debeo et possibile mihi est, retribuam, tui Domine muneris est.

Diligendus es, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, et tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet istud in me, nisi per te? Adhaereat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc Domine, Redemtor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, in te spero, et quibus possum desideriis ad te suspiro: adjuva imperfectum meum. Ad tuae Passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuae victoriosae Crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro. Tuum spineum diadema, tuo rubentes sanguine clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam sepulturam, tuam gloriosam et victoriosam resurrectionem et glorificationem, Christe, supplex adoro et glorifico.

Odor enim vitae spirat mihi in omnibus his. Horum vivico odore spiritum meum, Domine, a peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutiis satanae me custodi, ac me conforta,

ut jugum mandatorum tuorum suave fiat mihi, et onus crucis, quod post te bajulare me jubes, humeris animae meae sit leve. Quae est enim fortitudo mea, ut juxta praeceptum tuum mundi pressuras tam multiplices invicto animo sustineam? Numquid pedes mei tanquam cervorum, ut te velocem cursorem per spinas et confragosa passionum consequi valeam? Sed audi vocem meam, et inclina super servum tuum suavem crucem illam, quae lignum vitae est iis, qui apprehendunt eam; curram alacriter, portabo infatigabiliter eam, quae ab inimicis est, crucem post te. Illam nquam divinissimam crucem humeris meis mpone, cujus latitudo est charitas, cujus longitudo est aeternitas, cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas et pedes meos, et totum passioni tuae conforma servum tuum, Domine. Amen.

ORATIONES SEPTEM

DE PASSIONE DOMINI,

SEPTEM HORIS CANONICIS RESPONDENTES.

I. Ad Matutinum. Domine Jesu, per amorem, quo tuos in fine dilexisti; per sanguineum sudorem, quem in horto fudisti; per injurias et dolores, quos a tuo discipulo traditus et venditus, ab impiis Judaeis ligatus et distractus sustinuisti: absolve meorum vincula peccatorum, et liga hanc animam meam for-

tissimis charitatis tuae funiculis, qui dissolvi non possunt. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

II. Ad Primam. Domine Jesu, qui hora diei prima Pilato praesentatus, Judex coelestis judici terreno, et reus falsorum criminum ab impiis Pontificibus factus fuisti: succurre nobis miseris peccatoribus in judicio, ut non aeternis suppliciis cum impiis condemnemur, sed tuis fidelibus jungi in coelestibus mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

III. Ad Tertiam. Domine Jesu, qui hora diei tertia flagellis caesus et spinis coronatus fuisti: tribue nobis famulis tuis, ut corpora nostra voluntaria castigatione macerantes, sub capite spinoso digna censeri membra mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

IV. Ad Sextam. Domine Jesu, qui hora diei sexta transfossis manibus et pedibus e Crucis ligno pependisti, iisdemque clavis damnationis nostrae chirographum in patibulo confixisti: concede animae meae, ut liberata a servitute peccati, has sanctissimas plagas tuas tanquam insignia liberationis meae semper feram in medio cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

V. Ad Nonam. Domine Jesu, qui hora diei nona, consummatis omnibus, inclinato capite Deo Patri spiritum reddidisti, atque in mortuum hominum genus spiraculum vitae inspirasti: concede mihi peccatori, ut, qui totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum debe-

am pro me refecto, nec jam mihi, sed tibi, qui pro me mortuus es, in perpetuum vivam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

VI. Ad Vesperas. Domine Jesu, qui hora diei vespertina e Cruce deponi mortuus in sanctissimae Genitricis tuae brachia voluisti: concede propitius, ut et crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, et in morte ex ea depositus, per clementissimae Matris tuae manus ante te merear praesentari. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

VII. Ad Completorium. Domine Jesu, qui hora completorii in sepulcro quievisti, et a Matre tua moestissima et ab aliis mulieribus planctus fuisti: fac nos, quaesumus, tuam sanctissimam Passionem veris lacrymis plangere, nec unquam ea, per quae iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

SEPTEM VERBA
A CHRISTO IN CRUCE PROLATA.

1. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.*

Ave Jesu, qui mactaris, Sed tortorum deprecaris Patrem culpae parcere. Promte fac nos indulgere, Nec vindictam exercere, Corde, verbis, opere.

2. *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Ave Jesu, qui Latroni Poenitenti summi Boni Promisisti gratiam. Tali nos contritione, Nunc et mortis in agone, Fac mereri veniam.

3. *Mulier, ecce filius tuus! — Ecce mater tua!*

Ave Jesu, qui praesentem Cruci Matrem, heu dolentem, Commendas Discipulo. Pari nos tuere cura; Per te constet mens secura Quovis in periculo.

4. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!*

Ave Jesu, qui dixisti: Pater, quid me reliquisti Tantis in suppliciis! Ne nos linquas, ut ruamus; Semper tecum persistamus Fortes in angustiis.

5. *Sitio.*

Ave Jesu, qui testaris Sitim, felle sed potaris, Tu qui pascis omnia. Fac aeterna nos sitire, Mundi, carnis fastidire Fugitiva gaudia.

6. *Consummatum est.*

Ave Jesu, consummasti Jussa Patris, et donasti Tua nobis merita. Bene fac nos inchoare, Sed et plene consummare Tua beneplacita.

7. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

Ave Jesu, qui sermonem Morte claudens et agonem, Patri tradis animam. O mors tua nos emundet, Vitam bonis fac foecundet, Mortem det tutissimam. Amen.

SALUTATIO

SS. QUINQUE VULNERUM CHRISTI.

En, amantissime Jesu, qui sponsus sanguinum mihi esse voluisti: ad pedes tuos me prosterno, ut meum in te amorem debitamque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi Jesu, qui usque in finem dilexisti me, manibusque ac pedibus, imo et cordi tuo inscripsisti me magno sane ac conspicuo charactere? Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita et ego te cordi meo inscriptum circumferam, et sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? O Jesu, quam profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantum manus ac pedes, verum et opitulentissimum pectus mihi aperiri voluisti, ut inexhausta bonorum coelestium affluentia desiderium meum expleas! Suscipe haec mea, quae colendis sacris tuis quinque Vulneribus vota persolvo; aditum, spero, ad optatissimos hos vitae fontes mihi misero non intercludes.

Salve, o benedictum Vulnus sinistri Pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sanctissimi Vulneris merito evellas pedes meos a laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, et a lapsu animam meam praeserves. Non veniat mihi pes superbiae, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito et spiritu humilitatis a te suscipiar. — Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono et offero omnem afflictionem meam, ut hanc cum Cruce et Passione tua conjungas, gratiamque largiaris, qua omnes ad-

versitates et miserias amore tui superem, tuaeque me semper voluntati conformem.

Salve, o benedictum Vulnus dexteri Pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris merito dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te Deum ac Dominum meum in Sion. — Ad hoc sanctum Vulnus tuum depono et offero omnem fortunam ac felices successus meos, quos mihi divinae providentiae tuae dispositio clementer indulsit; ne illorum insolentia elatus animus te summum Bonum meum ad iram unquam provocet.

Salve, o benedictum Vulnus sinistrae Manus tuae, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris merito miserearis fragilitatis et inconstantiae meae, et in omni bono proposito me firmes, illumque insuper mihi amorem praestes, ut dicere queam: Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. — Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono omnia peccata mea, quae aut ignorans, aut sciens et volens, unquam commisi. Tu, mi Jesu, pretiosissimo tuo Sanguine illa abluere digneris, ne coram justissimo tribunali tuo aeternae damnationis sententiam contra me exposcant.

Salve, o benedictum Vulnus dexterae Manus tuae, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris merito uberem mihi grati-

am et opem contra hostium meorum visibilium et invisibilium conatus largiaris, et in novissimo die ad dexteram tuam me statuas, ubi laetus audiam: Venite benedicti! — Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono et offero tibi omnia bona opera mea (imo tua, quia tuae gratiae omnia, ut debeo, adscribo) cum humillima obsecratione, ut ea, tuis sanctissimis operibus unita, aeterno Patri offerre, meamque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris.

Salve, o benedictum Vulnus Lateris tui, mi Jesu: salve, o fons amoris, o thesaure inaestimabilis, o requies animae meae! Ausimne, benignissime Jesu, ad sacram hanc aram, ad hoc Sanctum sanctorum accedere; ardensque amore Cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Jesu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eja anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi sponsi tui; hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus opprimeris, exonera; hic desideria tua et cupiditates exple; hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, o Jesu, amore tuo duce, per amabilissimum sacri Lateris tui Vulnus ad Cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate oro, ut ignoscas, quidquid unquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro Sanguinis tui balneo munda cor meum, et benedicti Cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris ignem accende, ne quidquam imposterum praeter te amem aut desiderem. — Ad sacritissimum hoc Cordis tui Vulnus, mi Jesu, omnia cordis mei vota ac deside-

ria pono. Ita, quaeso, cor meum Cordi tuo adstringe, ut nullo unquam tempore ab invicem avellantur, ut vere cum Apostolo exclamem: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

LITANIAE
DE PASSIONE DOMINI.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Jesu rex mitis Jerusalem ingresse,
Jesu triginta argenteis vendite,
Jesu ad lavandos Discipulorum pedes inclinate,
Jesu Pascha cum Discipulis manducans,
Jesu Corpus tuum in cibum et Sanguinem in potum largite,
Jesu in oratione prostrate,
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse,
Jesu ab angelo confortate,
Jesu osculo a Juda tradite,
Jesu a ministris ligate,
Jesu a Discipulis derelicte,
} Miserere nobis.

Jesu Annae et Caiphae praesentate,
Jesu alapa a ministro percusse,
Jesu a falsis testibus accusate,
Jesu tē Christum Filium Dei confesse,
Jesu reus mortis judicate,
Jesu in faciem conspute,
Jesu oculis velate,
Jesu colaphis caese,
Jesu a Petro ter negate,
Jesu vinctus Pilato tradite,
Jesu ab Herode sprete et illuse,
Jesu veste alba indute,
Jesu Barrabbae postposite,
Jesu flagellis caese,
Jesu propter scelera nostra attrite,
Jesu quasi leprosus putate,
Jesu veste purpurea indute,
Jesu spinis coronate,
Jesu arundine pro sceptro donate,
Jesu arundine percusse,
Jesu a Judaeis ad crucem postulate,
Jesu morte turpissima condemnate,
Jesu voluntati Judaeorum tradite,
Jesu crucis pondere gravate,
Jesu tanquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu vestibus exute,
Jesu clavis in cruce confixe,
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate,
Jesu pro inimicis Patrem deprecate,
Jesu cum iniquis repùtate,
Jesu opprobrium hominum facte,
Jesu a praetereuntibus blasphemate,
Jesu a Judaeis derise,
Jesu a militibus in cruce illuse,

Miserere nobis.

Jesu a latrone convitiis lacessite,
Jesu latroni poenitenti Paradisum pollicite,
Jesu Joannem Matri tuae in filium commendans,
Jesu te a Patre derelictum attestate,
Jesu felle et aceto in siti potate,
Jesu omnia de te scripta consummans,
Jesu spiritum tuum in manus Patris commendans,
Jesu usque ad mortem crucis obediens facte,
Jesu lancea transfixe,
Jesu propitiatio nobis facte,
Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab omni peccato,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A cunctis mentis et corporis periculis,
A morte perpetua,
Per agoniam et sanguineum sudorem tuum
Per flagellationem et coronationem tuam,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per sitim, lacrymas, et nuditatem tuam,
Per sacratissima quinque Vulnera tua,
Per mortem et sepulturam tuam,
Libera nos Jesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut peccatis mortui, justitiae vivamus, Te rogamus audi nos.
Ut gloriari nobis non libeat, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, Te rogamus.

Ut amore tui mundus nobis crucifixus sit, et nos mundo,
Ut crucis mortificationem jugiter in corpore nostro circumferamus,
Ut carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigere studeamus,
Ut te passo in carne, et nos eadem cogitatione armemur,
Ut crucem nostram quotidie tollere, et te sequi valeamus,
Ut quae nobis lucra sunt, propter te detrimenta arbitremur,
Ut te Jesum crucifixum scire ante omnia studeamus,
Ut Sanguis tuus emundet nos ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi,
Ut emti pretio magno glorificemus Deum in corpore nostro,
Ut mortui peccato et consepulti, deinceps tecum in novitate vitae ambulemus,
Ut semel emundati ab operibus mortuis, rursum te Filium Dei crucifigere et ostentui habere caveamus,
Ut ad relictum a te nobis exemplum intuentes, sequamur vestigia tua,
Ut sicut socii passionum sumus, ita simus et consolationis,
Fili Dei,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.

Oremus.

Deus, qui pro redemtione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et colaphis caedi, opprobriis vexari, conspui, spinis coronari, arundine percuti, facie velari, vestibus spoliari, cruci clavis affigi, inter latrones reputari, felle et aceto potari: tu Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctissimam Crucem et Mortem tuam, libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

DEVOTIONES ERGA B. V. MARIAM.

ORATIO s. BERNARDI AD B. V. MARIAM.

Salve Regina misericordiae, Domina mundi, Regina coelorum, Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen coecorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, defi-

cientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis. Sit pietatis tuae, ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium obtinendo sanctis tuis precibus.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis: humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitatis. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum.

O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

Fac, o Benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti: ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.

ALIA ORATIO AD B. VIRGINEM.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia, a te esse derelictum.

Ego tali animatus fiducia, ad te Virgo virginum, Maria, Mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens peccator et tremens assisto. Noli, o Domina mundi, noli, aeterni Verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia, et exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc, et semper, et maxime in hora mortis meae. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

HYMNUS S. CASIMIRI

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

1. Omni die dic Mariae mea laudes anima: ejus festa, ejus gesta cole devotissima.
2. Contemplare et mirare ejus celsitudinem: dic felicem Genitricem, dic beatam Virginem.
3. Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet: hanc appella, ne procella vitiorum superet.
4. Haec persona nobis dona contulit coelestia: haec Regina nos divina illustravit gratia.
5. Lingua mea dic trophaea Virginis puerperae, quae inflictum maledictum miro transfert germine.
6. Sine fine dic Reginae mundi laudum cantica: ejus bona semper sona, semper illa praedica.
7. Omnes mei sensus ei personate gloriam: frequentate tam beatae Virginis memoriam.
8. Nullus certe tam disertae extat eloquentiae, qui condignos promat hymnos ejus excellentiae.
9. Omnes laudent, unde gaudent, Matrem Dei Virginem: nullus fingat, quod attingat ejus celsitudinem.
10. Sed necesse, quod prodesse piis constat mentibus, ut intendam, quod impendam me ipsius laudibus.

11. Quamvis sciam, quod Mariam nemo digne praedicet, tamen vanus et insanus est, qui illam reticet.

12. Cujus vita erudita disciplina coelica, argumenta et figmenta destruxit haeretica.

13. Hujus mores tanquam flores exornant Ecclesiam: actiones et sermones miram praestant gratiam.

14. Evae crimen nobis limen Paradisi clauserat: haec dum credit et obedit, coeli claustra reserat.

15. Propter Evam homo saevam accepit sententiam: per Mariam habet viam, quae ducit ad patriam.

16. Haec amanda et laudanda cunctis specialiter: venerari et precari eam decet jugiter.

17. Ipsa donet, ut, quod monet Natus ejus, faciam: ut finita carnis vita laetus hunc aspiciam.

18. O cunctarum foeminarum decus atque gloria! quam electam et evectam scimus super omnia.

19. Clemens audi, tuae laudi quos instantes conspicis: munda reos et fac eos donis dignos coelicis.

20. Virga Jesse, spes oppressae mentis et refugium, decus mundi, lux profundi, Domini sacrarium.

21. Vitae forma, morum norma, plenitudo gratiae: Dei templum et exemplum totius justitiae.

22. Virgo salve, per quam valvae coeli patent miseris; quam non flexit, nec allexit fraus serpentis veteris.

23. Generosa et formosa David regis filia: quam elegit Rex, qui regit et creavit omnia.

24. Gemma decens, rosa recens, castitatis lilium, castum chorum ad polorum quae perducis gaudium.

25. Actionis et sermonis facultatem tribue, ut tuorum meritorum laudes promam strenue.

26. Opto nimis, ut inprimis des mihi memoriam, qua decenter et frequenter tuam cantem gloriam.

27. Quamvis muta et polluta mea sciam labia: praesumendum, nec silendum est de tua gloria.

28. Virgo gaude, omni laude digna et praeconio, quae damnatis libertatis facta es occasio.

29. Semper munda et foecunda Virgo tu puerpera, Mater alma velut palma florens et fructifera.

30. Ejus flore et odore recreari cupimus: cujus fructu nos a luctu liberari credimus.

31. Pulchra tota sine nota cujuscunque maculae, fac nos mundos et jucundos te laudare sedule.

32. O beata, per quam data nova mundo gaudia, et aperta fide certa regna sunt coelestia:

33. Per te mundus laetabundus novo fulget lumine, antiquarum tenebrarum exutus caligine.

34. Nunc potentes sunt egentes, sicut olim dixeras; et egeni fiunt pleni, ut tu prophetaveras.

35. Per te morum nunc pravorum relinquantur devia: doctrinarum perversarum pulsa sunt ludibria.

36. Mundi luxus atque fluxus docuisti spernere; Deum quaeri, carnem teri, vitiis resistere:

37. Mentis cursum tendi sursum pietatis studio: corpus angi, motus frangi pro coelesti praemio.

38. Tu portasti inter casti ventris claustra Dominum Redemtorem, ad honorem nos reformans pristinum.

39. Mater facta sed intacta genuisti Filium, Regem regum atque rerum Creatorem omnium.

40. Benedicta, per quam victa hostis est versutia; destitutis spe salutis datur indulgentia.

41. Benedictus Rex invictus, cujus Mater crederis; increatus ex te natus, nostri salus generis.

42. Reparatrix, consolatrix desperantis animae! a pressura, quae ventura malis est, nos redime.

43. Pro me pete, ut quiete sempiterna perfruar, ne tormentis comburentis stagni miser obruar.

44. Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera, et da menti te poscenti gratiarum munera.

45. Ut sim castus, et modestus, dulcis, blandus, sobrius, pius, rectus, circumspectus, simultatis nescius,

46. Eruditus et munitus divinis eloquiis, timoratus et ornatus sacris exercitiis,

47. Constans, gravis, et süavis, benignus, amabilis, simplex, purus, et maturus, patiens, et humilis,

48. Corde prudens, ore studens veritatem dicere, malum nolens, Deum colens pio semper opere.

49. Esto tutrix et adjutrix christiani populi: pacem praesta, ne molesta nos perturbent saeculi:

50. Salutaris stella maris, summis digna laudibus, quae praecellis cunctis stellis atque luminaribus.

51. Tua dulci prece fulci supplices et refove, quidquid gravat, vel depravat mentes nostras, remove.

52. Virgo gaude, quod de fraude daemonis nos liberas, dum in vera et sincera carne Deum generas.

53. Illibata et ditata coelesti progenie, gravidata, nec fraudata flore pudicitiae:

54. Nam quod eras, perseveras, dum intacta generas, illum tractans atque lactans, per quem facta fueras.

55. Commendare me dignare Christo tuo Filio, ut non cadam, sed evadam de mundi naufragio.

56. Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam: contra crimen da munimen et mentis constantiam.

57. Non me liget, nec fatiget saeculi cupiditas, quae indurat et obscurat mentes sibi subditas.

58. Nunquam ira, nunquam dira me vincat elatio, quae multorum fit malorum frequenter occasio.

59. Ora Deum, ut cor meum sua servet gratia, ne antiquus inimicus seminet zizania.

60. Da levamen et juvamen tuum illis jugiter, tua festa sive gesta qui colunt alacriter. Amen.

Antiphona. Haec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti. ℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium genuisti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. ℟. Amen.

LITANIAE

IN HONOREM B. V. MARIAE.

Kyrie eleison Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Virgo Patribus promissa,
Virgo Prophetarum oraculis praenunciata,
Virgo genita ex stirpe David,
Virgo justo Joseph desponsata,
Virgo cujus humilitatem respexit Deus,
Virgo ab Angelo salutata,
Virgo gratia plena,
Virgo benedicta in mulieribus,

Ora pro nobis.

Virgo ancillam Domini te confessa,
Virgo Altissimi virtute obumbrata,
Virgo concipiens de Spiritu sancto,
Virgo pariens Emmanuel,
S. Maria, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus,
S. Maria, a pastoribus et magis visitata,
S. Maria, legi purificationis sponte subdita
S. Maria, in Aegyptum cum Filio et Sponso profuga,
S. Maria, ex Aegypto in terram Israel reversa,
S. Maria, cum Jesu puero Jerusalem ascendens,
S. Maria, Filium in dolore triduo quaerens,
S. Maria, Filium in templo cum gaudio inveniens,
S. Maria, cui subditus erat Jesus,
S. Maria, ad cujus preces Dominus fecit initium signorum,
S. Maria, stans juxta crucem Filii morientis,
S. Maria dilecto Discipulo qua mater commendata,
S. Maria, in passione Filii doloris gladio transfixa,
S. Maria, in ejus gloriosa resurrectione summo gaudio affecta,
S. Maria, in die Pentecostes Spiritu sancto repleta,
S. Maria, in coelum assumta,
S. Maria, in coelo coronata,
Tu gloria Jerusalem,

} Ora pro nobis.

Tu laetitia Israël, Ora pro nobis.
Tu quam beatam dicent omnes generationes, Ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Ave Maria.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Domine Jesu, qui sanctissimam Matrem tuam super omnes creaturas in gloria sublimatam nobis insignem apud te Advocatam constituisti: concede, ut, cujus gloriamur patrocinio, virtutes quoque imitemur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

PETITIONES ET MYSTERIA

AD RECITATIONEM CORONAE VEL ROSARII B. M. V.

In Rosario gaudioso.

Petit. 1. Qui adaugeat nobis fidem. 2. Qui corroboret nobis spem. 3. Qui perficiat in nobis charitatem.

Myst. 1. Quem Virgo concepisti. 2. Quem visitando Elisabeth portasti. 3. Quem Virgo genuisti. 4. Quem in templo praesentasti. 5. Quem in templo invenisti.

In Rosario doloroso.

Petit. 1. Qui intellectum nostrum illuminet. 2. Qui voluntatem nostram perficiat. 3. Qui memoriam nostram roboret.

Myst. 1. Qui pro nobis sanguinem sudavit. 2. Qui pro nobis flagellatus est. 3. Qui pro nobis spinis coronatus est. 4. Qui pro nobis Crucem bajulavit. 5. Qui pro nobis crucifixus est.

In Rosario glorioso.

Petit. 1. Qui cogitationes dirigat. 2. Qui verba moderetur. 3. Qui gubernet opera.

Myst. 1. Qui resurrexit a mortuis. 2. Qui in coelos ascendit. 3. Qui nobis Spiritum sanctum misit. 4. Qui te in coelos assumsit. 5. Qui te in coelis coronavit.

LITANIAE LAURETANAE.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
} Ora pro nobis.

Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos, semper Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis in-

tercessione donetur. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

His Latiniis subjunges pro felici morte ter Salutationem Angelicam cum Orationibus sequentibus.

1. Ave Maria. — O Domina mea, sancta Maria! sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi, quaeso, adsis nunc et in hora mortis meae, expellendo a me omnem contrariam potestatem.

2. Ave Maria. — O Domina mea, sancta Maria! sicut Filius Dei tanta te sui cognitione et claritate illustrare dignatus est, ut totum coelum illuminares: ita nunc et in hora mortis meae animam meam cognitione fidei sic illustres et corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

3. Ave Maria. — O Domina mea, sancta Maria! sicut Spiritus sanctus suum amorem tibi plene infudit: ita nunc et in hora mortis meae dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.

O sancta Maria! sicut sacratissima Trinitas purissimum spiritum tuum ex hoc mundo exeuntem cum gaudio totius Curiae coelestis excepit: ita etiam tua intercessione suscipiat animam meam Pater qui eam creavit, Filius qui eam redemit, Spiritus sanctus qui eam sanctificavit. Amen.

ORATIONES PRO FELICI MORTE.

S. AUGUSTINI DESIDERIUM VITAE COELESTIS.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem tuam? O fons vitae, vena aquarum viventium! quando veniam ad aquas dulcedinis tuae de terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiae tuae sitim meam? Sitio, Domine; fons vitae es, satia me. Sitio, Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putasne, video diem illam, diem, inquam, jucunditatis et laetitiae, diem, quam fecit Dominus, et exultemus et laetemur in ea? O dies praeclara et pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum; in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis et confessionis; in qua audiam: Intra in gaudium Domini! O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, et videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Veni, Domine, et noli tardare. Veni, Domine Jesu Christe; veni, et visita nos in pace. Veni, et educ vinctos de carcere, ut laetemur coram te corde perfecto. Veni, Salvator noster; veni, desideratus cunc-

tis gentibus; ostende faciem tuam, et salvi erimus. Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meae, clamans ad te, Domine, et non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, et adduc me ad portum felicitatis aeternae. Felices, qui, de periculis maris hujus educti, ad te Deum, portum tutissimum, pervenire meruerunt. O vere beati, qui ad regnum omnium saeculorum pervenerunt. O quam gloriosum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso; ubi summum bonum possidetur, quod est, videre semper faciem Domini virtutum! En ad te clamamus redemti tui, sed et nunc exules tui, quos pretioso Sanguine redemisti. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae. Salva nos propter Nomen sanctum tuum! Amen.

ORATIO AD JESUM CHRISTUM.

O bone Jesu, cum statutum sit omnibus hominibus semel mori, et cum ex mortis momento pendeat tota aeternitatis causa: rogo te, ut beatae mortis curae viriliter studeam, ne, heu! in aeternum peream pessima et irreparabili peccatorum morte.

O bone Jesu, qui dixisti: Vigilate, quia nescitis diem neque horam; libera me a subitanea et inprovisa morte. Quapropter rogo te, ut, de mortis adventu incertus, mature domui meae disponam, et moriar quotidie exemplo Apostoli, ut ad mortem semper paratus, pos-

sim in prima, secunda aut tertia vigilia, ac singulis momentis mori, te propitio, morte justorum.

O bone Jesu, qui nobis praecipis, ut tanquam advenae et peregrini abstineamus a carnalibus desideriis, et ut utamur hoc mundo tanquam non utentes, quia praeterit figura hujus mundi: rogo te, ut, non habens hic manentem civitatem, futuram tanto ardentius inquiram, et ut, relictis omnibus saltem corde et animo, antequam moriar, liberius et avidius cupiam dissolvi et esse tecum.

O bone Jesu, qui es veritas et bonitas et protector vitae meae: da mihi, praesertim in hora mortis, fidei, spei et charitatis augmentum; ut, firmius credens, securius sperans, et ardentius amans, merear propter nimiam charitatem tuam assequi, quod promittis.

O bone Jesu, qui cor contritum et humiliatum nunquam despicis, et qui sanas contritos corde: rogo te, ut per totam vitam, et praecipue in hora mortis, recogitem tibi et propter te omnes annos meos in amaritudine animae meae; et ut remittas mihi peccata mea multa et magna, et laves me, ut super nivem dealber. Tunc mundus corde, dimittar in pace, et te videbo in gloria; et interim dicam semper: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus!

O bone Jesu, qui instituisti Sacramenta, ut per illa omnis vera justitia vel incipiat, vel incoepta augeatur, vel amissa recuperetur: concede mihi spatium digne suscipiendi ante horam mortis Sacramentum Poenitentiae, Eucha-

ristiae et extremae Unctionis, ut, hauriens in gaudio de his fontibus tuis aquam salientem in vitam aeternam, gustem in coelo illa gaudia plena, quorum pignus in his Sacramentis nobis, misericors et miserator Domine, reliquisti.

O bone Jesu, qui potestatem habens ponendi animam tuam et iterum sumendi eam, factus tamen es obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: concede mihi gratiam, ut aspiciens in te auctorem fidei et consummatorem, voluntarie sacrificem tibi vitam meam, et dicam semper: Magnificeris, o Jesu Christe, in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem; non mea voluntas, sed tua semper fiat!

O bone Jesu, per illum zelum, quo languores nostros tuo livore sanasti; per angustias cordis tui, cum te a Patre derelictum clamasti; per agonias, quas in hora mortis sustinuisti: miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen.

ORATIO AD B. V. MARIAM.

O dulcissima Jesu Mater, Virgo Maria, Patrona mea, visceribus misericordiae plena! succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea et inprovisa superveniat, ne inparatus de hoc mundo transeam. Ora pro me, Maria Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi passionem ac mortem amarissimam, ut peccati detestatione, diaboli et operum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura et humili confessione, poenitentia et satisfactione, digna Dei acceptione, et proximi dilectione,

Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam. Et fac mecum misericordiam tuam, o beata Virgo Maria, Mater Dei, in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, et mortua lingua se nequibit movere ad invocandum te: memor esto tunc, o Maria, precum, quas nunc fundo ad aures tuae pietatis, et subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meae, ut liberer a ministris diaboli, et collocer cum Christi fidelibus, Filii tui servis et amicis. Amen.

PROTESTATIONES s. CAROLI BORROMAEI CORAM ANGELO CUSTODE.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ego N. N. miser peccator protestor in praesentia tua, o Angele mi Custos, velle et desiderare me mori in vera Fide, quam sancta Romana et Apostolica profitetur Ecclesia: nec desidero diutius vivere, quam placeat Deo, cujus voluntati me totum subjicio.

Protestor etiam, o fidelissime Custos, desiderare me sub tua protectione discedere ex hac vita, cum spe divinae misericordiae sine ulla titubatione in fide, firmissime credens, unicam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sufficientissimam esse ad salvandum totum genus humanum.

Similiter protestor, mi amantissime Custos, petere me ex intimo corde participem fieri misericordiae Dei, quam nulli, quantumvis gravissimo, peccatori negat: idque per merita passionis et mortis Domini nostri Jesu Christi, et

per virtutem pretiosissimi Sanguinis illius, ac per merita beatissimae Virginis Mariae, Angelorum et Sanctorum omnium.

Protestor insuper, o mi sanctissime Custos, supplicare me divinae pietati, ut dignetur me recipere in numerum Electorum suorum, etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in Purgatorio usque ad extremum judicii diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam aeternam.

Denique protestor, o mi optime Custos, te procuratorem a me constitui testamenti et ultimae voluntatis meae, ad impetrandum mihi tres gratias a clementissimo Domino nostro Jesu Christo. Prima est: ut mihi donet unicum lacrymosum suspirium ex illis, quae habuit, dum in Cruce tribus horis vivus pependit, cujus virtute mitigentur lacrymabiles singultus illi et cordis angustiae, quibus in hora mortis affligar; et ut gloriosissima Mater Dei Maria dignetur me unico aspectu ex iis, quos ipsa sub Cruce stans habuit defigendo virgineos oculos in dilectum Filium suum, suscipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus et meritis in die judicii obtinebunt salutem et vitam sempiternam. Altera gratia est: ut tu mihi, o fidelissime Custos, in illa potissimum hora succurras, quando anima mea separabitur a corpore meo, ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantissimae illius charitatis, qua paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Tertia demum gratia est: ut tu idem, o potentissime Custos, animam meam tibi habeas

commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam Redemtori meo offeras, ut eum una tecum et cum Sanctis omnibus in coelo videam, perfecte amem, et in aeternum fruar, cui sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

SUPPLICATIONES
PRO
FIDELIBUS DEFUNCTIS.

ORATIONES SEPTEM AD JESUM.

1. O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo, tuam nobis Carnem et Sanguinem in cibum et potum reliquisti! Per infinitum hunc amorem tuum supplex oro, miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Deduc eos ad vitae fontes, et fac, ut mox tecum edant et bibant super mensam tuam in regno tuo. Pater noster.

2. O Jesu, protectio et salus nostra, qui tantos nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttae sanguinis decurrentis in terram! Per pretiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. Pater noster.

3. O Jesu, Redemtor et Salvator noster, qui captus es in peccatis nostris! Per duris-

sima illa vincula tua supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita implicavit, ut laeti sacrificent tibi hostiam laudis. Pater noster.

4. O Jesu, cordis nostri laetitia, qui benedictam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, conspui et colaphis caedi permisisti! Per incomprehensibilem hanc patientiam tuam te supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Admitte illos ad claritatem lucis tuae, eosque adimple laetitia cum vultu tuo. Pater noster.

5. O Jesu, corona gloriae nostrae, qui flagellis caesus, et spinis dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es! Per summam istam humilitatem tuam te supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Concede propitius, ut coronam aeternae gloriae mox consequantur; tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus. Pater noster.

6. O Jesu, Advocate et Judex noster, qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab aeternae damnationis reatu absolvisti! Per abyssum misericordiae tuae supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Audiant mox verbum illud consolationis: Dimissa est iniquitas vestra. Pater noster.

7. O Jesu, summum et unicum Bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti! Per immensum hoc be-

neficium tuum te supplex oro: miserere omnium fidelium Defunctorum, praesertim horum N. N. Aditus illis ad aeternam gloriam mox reseretur, laetique audiant: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi! Pater noster.

IN DEPOSITIONE DEFUNCTI IN COEMETERIO.

Sume terra, quod tuum est; sumat Deus, quod suum est: corpus de terra formatum est; spiritus desursum inspiratus est.

Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

Antiphona. Ego sum.

CANTICUM ZACHARIAE.

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit et fecit redemtionem plebis suae,

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris: et de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis,

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi;

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos Oriens ex alto,

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem aeternam: dona ei Domine.

Et lux perpetua: luceat ei.

Antiph. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fac, quaesumus Domine, hanc cum servo tuo defuncto N. misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: ut, sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Anima ejus, et animae omnium fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

PROPRIUM MISSAE QUOTIDIANAE PRO DEFUNCTIS.

INTROITUS.

Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Psalm. Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

ORATIO.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

Pro defunctis Fratribus, Propinquis et Benefactoribus.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro omnibus fidelibus Defunctis.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemtor: animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indul-

gentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis.

EPISTOLA.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli.
In diebus illis audivi vocem de coelo dicentem mihi, Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

GRADUALE.

Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis. *Psalm.* In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Tractus. Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. *V.* Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis. *V.* Et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia ad arbitrium Sacerdotis: Dies irae, dies illa, *ut supra pag.* 209.

EVANGELIUM.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.
In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

OFFERTORIUM.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis in-

ferni et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum: sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam: Quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

V. Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam: Quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

SECRETA.

Pro deff. Episcopis seu Sacerdotibus.

Suscipe, Domine quaesumus, pro animabus famulorum tuorum Pontificum seu Sacerdotum, quas offerimus hostias: ut, quibus in hoc saeculo Pontificale seu Sacerdotale donasti meritum, in coelesti regno Sanctorum tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum.

Pro deff. Fratribus, Propinquis et Benefactoribus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae: et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec Sacramenta salutis nostrae cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Pro omnibus fidelibus Defunctis.

Hostias, quaesumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende: ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum.

PRAEFATIO.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Chri-

stum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates; Coeli coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus etc.

COMMUNIO.

Lux aeterna luceat eis Domine: Cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

V. Requiem aeternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis. Cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

POSTCOMMUNIO.

Pro deff. Episcopis seu Sacerdotibus.

Prosit, quaesumus Domine, animabus famulorum tuorum Pontificum seu Sacerdotum misericordiae tuae implorata clementia: ut ejus, in quo speraverunt et crediderunt, aeternum capiant, te miseraute, consortium. Per Dominum.

Pro deff. Fratribus, Propinquis et Benefactoribus.

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus: ut animae fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc Sacrificium laudis tuae obtulimus Majestati, per hujus virtutem Sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem.

Pro omnibus fidelibus Defunctis.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium: ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemtionis facias esse participes. Qui vivis.

ORATIONES DIVERSAE PRO DEFUNCTIS.

1. *In die obitus seu depositionis Defuncti.*

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci; ut, quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat.

2. *In die tertio, septimo, et trigesimo depositionis Defuncti.*

Quaesumus Domine, ut animae famuli tui N., cujus depositionis diem tertium (septimum, trigesimum) commemoramus, Sanctorum atque Electorum tuorum largiri digneris consortium: et rorem misericordiae tuae perennem infundas.

3. *In Anniversario Defunctorum.*

Deus indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem.

4. *Pro def. summo Pontifice.*

Deus, qui inter summos Sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti: praesta quaesumus, ut, qui unigeniti Filii tui vices in terris gerebat, sanctorum tuorum Pontificum consortio perpetuo aggregetur.

5. *Pro def. Episcopo vel Sacerdote.*

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali (Sacerdotali) fecisti dignitate vigere; praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio.

6. *Pro uno defuncto.*

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem.

7. *Pro una defuncta.*

Quaesumus Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae N., et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue.

8. *Pro def. patre et matre.*

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti: miserere clementer animabus patris et matris meae, eorumque peccata dimitte; meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre.

9. *Pro pluribus Defunctis.*

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum misericordiam concede perpetuam: ut iis proficiat in aeternum, quod in te speraverunt et crediderunt.

10. *In depositione parvuli defuncti.*

Omnipotens sempiterne Deus, sanctae puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad coe-

lorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam, Domine, ita nobiscum misericorditer agere, ut meritis tuae sanctissimae passionis, et intercessione beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis et Electis tuis semper facias congaudere.

11. *Pro his, qui in coemeterio requiescunt.*

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt: famulis et famulabus tuis, et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur.

12. *Pro absolutione Defuncti.*

Responsorium. Libera me, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda: Quando coeli movendi sunt et terra: Dum veneris judicare saeculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira: Quando coeli movendi sunt et terra: Dum veneris judicare saeculum per ignem.

℣. Dies illa dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde: Dum veneris judicare saeculum per ignem.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Libera me, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda: Quando coeli movendi sunt et terra: Dum veneris judicare saeculum per ignem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat: et peccata, quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Psalmum De profundis *vide infra in fine orationis vespertinae.*

AD VESPERAS.

CUM PROPRIO DE FESTO Ss. TRINITATIS.

Pater noster. Ave Maria. *Secreto.*

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri. Sicut erat. Alleluja. (*A Dominica in Septuagesima usque ad Feriam quintam in Coena Domini instar* Alleluja *dicitur:* Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae!)

Antiph. Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula, et nunc, et in perpetuum.

PSALMUS CIX.

Dixit Dominus Domino meo: sede ad dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus; et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula, et nunc, et in perpetuum.

Antiph. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

PSALMUS CX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem gentium: opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in saeculum saeculi: facta in veritate et aequitate.

Redemtionem misit populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito, in saeculorum saecula.

Antiph. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

PSALMUS CXI.

Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors et miserator et justus.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio: quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.
Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Antiph. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

PSALMUS CXII.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: ex hoc, nunc, et usque in saeculum.
A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus: et super coelos gloria ejus.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in coelo et in terra.
Suscitans a terra inopem: et de stercore erigens pauperem.
Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum laetantem.
Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

Antiph. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in saecula.

PSALMUS CXIII.

In exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro,
Facta est Judaea sanctificatio ejus: Israel potestas ejus.

Mare vidit et fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quod fugisti: et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: et colles sicut agni ovium?

A facie Domini mota est terra: a facie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquarum: et rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua: ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in coelo: omnia, quaecunque voluit, fecit.

Simulacra gentium argentum et aurum: opéra manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea: et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos: super vos et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino: qui fecit coelum et terram.

Coelum coeli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino: ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in saecula.

CAPITULUM.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! *R.* Deo gratias.

HYMNUS.

Iam sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere:
Digneris, ut Te supplices
Laudemus inter Coelites.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

V. Benedictus es Domine in firmamento coeli.
R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

Antiph. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et

ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in saecula.

CANTICUM B. V. MARIAE.

Magnificat: anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiae suae,

Sicut locutus est ad Patres nostros: Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. rep. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in saecula.

V. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus

sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

V. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino. *R.* Deo gratias.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. *R.* Amen.

Pater noster. *Secreto.*

V. Dominus det nobis suam pacem. *R.* Et vitam aeternam, Amen.

Nunc dicitur una ex sequentibus Antiphonis.

ANTIPHONAE DE B. V. MARIA.

I. Ab Adventu usque ad Purificationem.

Alma Redemtoris mater, quae pervia coeli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti
Surgere qui curat populo: tu quae genuisti
Natura mirante tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adventu: V. Angelus Domini nuntiavit Mariae. *R.* Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Post Adventum: V. Post partum virgo immaculata permansisti. *R.* Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Oremus. Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *R.* Amen.

II. A Purificatione usque ad Pascha.

Ave Regina coelorum,
Ave Domina Angelorum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa:
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. Concede misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut, qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

III. Tempore paschali usque ad Festum Ss. Trinitatis.

Regina coeli laetare, alleluja,
Quia, quem meruisti portare, alleluja,
Surrexit, sicut dixit, alleluja:
Ora pro nobis Deum, alleluja.

V. Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluja.
R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetua capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

IV. A Festo Ss. Trinitatis usque ad Adventum.

Salve Regina, mater misericordiae,
Vita, dulcedo, et spes nostra, salve.
Ad te clamamus, exules filii Hevae:

Ad te suspiramus gementes et flentes
In hac lacrymarum valle.
Eja ergo, Advocata nostra,
Illos tuos misericordes oculos ad nos converte,
Et Jesum benedictum fructum ventris tui
Nobis post hoc exilium ostende.
O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix. *R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da, ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *R.* Amen.

EXERCITIUM VESPERTINUM.

ORATIO VESPERTINA.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Inclinata est dies: nox appropinquavit. Venite, extollamus manus nostras in sancta, et glorificemus Dominum, qui fecit nobiscum misericordiam suam.

℣. Benedic anima mea Domino. ℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Oremus.

Deus, qui divitias tuae immensae bonitatis in nobis ostendere non desinis: tibi pro col-

latis beneficiis gratias agimus, humiliter deprecantes, ut quod immeritis tribuere dignatus es, semper ad majorem nominis tui gloriam referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

* * *

Confitebor tibi in toto corde meo, Deus meus, bonitas infinita! et narrabo mirabilia tua, quia magnificata est hodie misericordia tua super me, et liberasti animam meam a perditione. Et unde hoc mihi, ut recorderis mei, praeveniens me tot benedictionibus dulcedinis et charitatis tuae?

Tu ab aeterno dilexisti me, et in splendoribus Sanctorum vidisti tenebras meas. Tu me ex nihilo condidisti et e numero pereuntium misericorditer exemisti. Tu ex nativitate mea factus es protector meus, et segregasti me in servum tibi. Tu propter me omnia gubernas et regis, et quae ad me pertinent, efficacissima providentia disponis. Tu me hac die ex innumeris ereptum periculis, multis et mirabilibus beneficiis cumulasti.

Et quis sum ego, ut invenirem gratiam in oculis tuis? Tu potentissimus et immensus: ego vapor et nihil. Tu sapientia et lumen: ego tenebrae et ignorantia. Tu fons bonitatis: ego vermis et non homo, et omnes justitiae meae sicut vestis sordida. Et tamen non cessas diligere me, et egenam animam meam bonis tuis locupletare. Ideo benedicam tibi omni tempore, qui eripuisti animam meam de morte et pedes meos a lapsu, cum tamen ego misera-

15 **

bilis peccator et servus ingratus contristaverim hodie Spiritum tuum peccatis meis. Et nunc Domine poenitet me peccasse: miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. O si nunquam te offendissem! o si praecepta tua nunquam transgressus, amoris tui nunquam oblitus fuissem! Atque utinam, Deus meus, cras tibi perfectius serviam, et omnia creata spernens, te unum timeam et diligam! Tu solus potes animam meam satiare, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Quando venies ad me, et me totum possidebis? Veni, Domine, fac me unum tecum, et cor meum, abstractum ab omni creatura, tibi soli impollutum conserva. Nam quid proderit universa vanitas, cum veneris sicut fur in nocte? Revela igitur oculos meos, ut considerem novissima mea, et prospiciam saluti meae. En vitae et salutis incertus perveni ad finem hujus diei. In manus tuas commendo spiritum meum. Redime me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego.

Credo tibi, summa veritas! In te spero, salus mea! Te diligo et amplector toto corde: omnia enim, quae fecisti, magna voce clamant, ut diligam te, cum sis unicum et omne bonum meum.

Aperi mentes omnium, quos creasti, eorum praesertim, pro quibus orare debeo, ut tibi Regi coelorum honor et gloria ab omnibus tribuatur. Radicitus extirpa omne peccatum et vitium, omnem discordiam et infidelitatem. Peccatoribus poenitentiam, justis perseverantiam, afflictis consolationem, inimicis nostris

charitatem largire. Sit in omnibus patientia, benignitas, humilitas. Miserere omnium animarum fidelium in pace quiescentium, et da illis requiem sempiternam.

Vos Angeli sancti, vigiles coeli, agite pro me, dum dormio, excubias amoris, et vestro semper vigilanti affectu summum Bonum diligite. Tu Angele gloriose, qui mei curam suscepisti, assiste mihi hac nocte, hostemque comprime, ne noxiis animi phantasmatibus corporis puritatem laedat. Adeste, Sancti et Electi Dei, vos praesertim Patroni mei, supplete vices fragilitatis meae, et custodite hujus noctis vigilias super me, Deumque pro me laudate, ac me ab omni malo defendite. Tu denique, beatissima Virgo, mater pulchrae dilectionis, protege me hac nocte sub umbra alarum tuarum. Monstra apud Filium tuum te esse matrem, matrem gratiae et misericordiae, mihique impetra cor castum et purum, ut in eo quiescat dilectus Filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

* * *

Dignare Domine nocte ista — ℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Miserere nostri, Domine. ℟. Miserere nostri.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fac nos, quaesumus Domine, tibi servire in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris, exspectantes beatam spem, ut in pace, consummato vitae cursu, ingrediamur in illam requiem, ubi nox ultra non erit, et videamus faciem tuam, et requiescamus in gloria tua, glorificantes te in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Tunc dicitur

PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS

PSALMUS XXIX.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam: dona eis, Domine.

Et lux perpetua: luceat eis.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

ADSPIRATIONES ANTE SOMNUM.

1. In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

2. Peto, Domine, et desidero, ut singulae respirationes meae hac nocte laudem et honorem tibi exhibeant.

3. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus: praevalui adversus eum.

4. Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae: tu me ab hoste protege, et mortis hora suscipe.

5. Angele Dei, qui custos es mei: me tibi commissum pietate superna hac nocte illumina, custodi, rege et guberna.

6. Pater aeterne! per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, perque viscera misericordiae tuae rogo te: concede mihi, ut in bono perseverem, et moriar in gratia tua.

7. Bone Jesu! per charitatem aeterni Patris, et ultima in cruce verba, quibus Patri spiritum commendasti, te rogo: suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

8. Spiritus sancte Deus! miserere mei, et sancta inspiratione tua me semper, et potissimum in hora mortis meae corrobora.

9. Sanctissima Trinitas, unus Deus! Pater et Filius et Spiritus sanctus! miserere mei nunc et in hora mortis meae. Amen.



PROFESSIO FIDEI CATHOLICAE.

Ego N. N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli in terrae, visibilium omnium et invisibilium: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, Lumem de Lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: Et Unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum Baptisma in remissiŏnem peccatorum: Et exspecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonum: illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ec-

clesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, atque praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum.

* * *

Ego N. N. idem spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

O. A. M. D. G.

CORRIGENDA.

Pag. 61. lin. 1. lege: renes nostros.
„ 97. „ 16. et 17. lege: Jube domne benedicere.
„ 285. „ 4. lege: super mel.
„ 288. „ 16. lege: Christe exaudi nos.

INDEX.

